Ko 2
5'4

THESAVRI POLITICI

Pars Secunda:

RELATIONES, INSTRVCTIONES, DISSERTATIONES, ALIOSQVE DE REBVS AD PLENAM IMPERIORVM, REGNORVM, PROVINCIARVM, omniumque quæ ab ijs dependent cognitionem pertinentibus TRACTATVS complectens:

Additis etiam quibusdam aliunde ſumtis.

EX ITALICA IN LATINAM linguam traducta, opera & ſtudio

GASPARIS ENS L.



COLONIAE,
Apud Gerardum Greuenbruch.
Anno MDC. X.
tia & Priuil. S, Cæſ. Maieſt.

Genere, Virtute & Doctrina præstantissimo viro,

D. CHRISTIANO SCHONENBERGIO,

alti apud COLONIENSES AGRIPPINATES Electoralis Dicasterij assessori:

D. patrono & fautori suo plurimum colendo.

SCITUM est Sallustianū illud, VIR PRÆSTANTISSIME, *Omnes homines summa ope niti decere, ne vitam silentio transeant veluti pecora.* Et profecto si rem non ex vulgi opinione, sed ipsa veritate æstimare veli-

mus, miranda eſt eorum homi num inſania, qui circa viliorem ſui partem ita occupantur, vt melioris pæné nullam habeant curam. Nimirum ita comparata eſt hominum natura, vt ſenſibus magis quam ratione ducatur, niſi animi cultus acceſſerit, è litterarum potiſſimum & bonarum artium ac ſcientiarum cognitione petitus. Sed & hac in re non vno modo peccari ſolet. Quidam enim ita ſe litterarum ſtudijs dedunt, vt ad communem nihil adferant vtilitatem, ſed quaſi ſibi ipſis tantum nati, animum velut in ſolitudine quadam, pulcerrimarum &

iucundissimarum rerum cognitione pascant. Alij litterarum cognitionem, in primis nobiliores illas scientias ita tractant, vt omnia ad rei familiaris dirigant curam. Pauci sunt, qui, non tamen spretis ijs quæ ad vitæ sustentationem necessaria habentur, eo studia sua & consilia referunt, non vt sibi tantum, sed omnibus bene sit, vtque communis hæc vitæ societas non modo conseruetur, verum etiam ad formam quã optimam, & quantum fieri in tanta rerum humanarum inconstantia potest, perfectum statum redigatur. Id muneris vel oneris potius, quamuis Re-

gibus potissimum, Principibus, & alijs, pro Rerumpublicarum diuersitate, magistratibus incumbat; videmus tamē eosdem (& quidem aliter in tāta negociorum multitudine fieri non potest) alios ad eam prouinciam idoneos sibi succenturiare veluti & cooptare. Vtinam vero aut eo ingenio ac iudicio essent Principes, vt religionis curam pijs ac Dei timentibus, iudicia incorruptis, ceteros magistratus prudentissimis cōmitterent ac mandarent; aut tanta hominum ad id genus officia idoneorum multitudo, vt in electione error non facile esset metuendus!

Sed hæc ſperare magis quã optare licet. Ceterum quũ librorũ his de rebus ſcriptorũ lectio Rẽpubl. adminiſtraturis in primis ſit neceſſaria, vt ipſe quoque ad publicam vtilitatem conferrem ſymbolã, Primæ ſuperiori anno à me editę Theſauri huius parti, ſecundam nũc adiungo, eamque nomini tuo, *Vir præſtantiſſime*, inſcribo, nuncupo, dedico, vt perpetuum ſit animi mei erga te pignus, & virtutum tuarũ teſtimonium quas iã amplecti magis & exoſculari quam prædicare libet, Colo. Agripp. MDCX XI. Auguſti.

Domin. Veſtræ.

addictiſſ.

GASPAR ENS L.

PRAEFATIO Ad Lectorem

VEtus est & tritũ sermone verbum: Magistratus ostendit virum. Et sane ita est. Multi qui superiores etiam grauissimis negocijs existimantur, vbi gubernaculis admoti fuerint, vix pares inueniuntur. Est enim maioris molis opus quam vulgo putatur, vnũ præesse pluribus, & ab vno capite tot capita coerceri. At hic merito locum illud habet: Difficilia quæ pulchra. Quid enim laudabilius quam omnium inuigilare saluti? quam iustitiam omnibus

bus æquabiliter administrare? quam bonis præmia malis pœnas decernere? quàm tam varios casus in Republica, quantum humani ingenij imbecillitas assequi potest, non prospicere tantum, verum etiam ad vnicam publicæ salutis cynosuram dirigere omnes & accommodare? Hinc merito magna semper apud omnes populos eorum laus fuit, qui rem publicam dextre ac prudenter administrarũt, vt etiam multis propterea diuini tributi sint honores: quos commemorare hic nihil attinet. Laudatur abditarum & in Naturæ sinu retrusarum rerum caussarumque cognitio: & merito laudatur, vtpo-

te diuino hominis ingenio maxime digna. Ad cœlum effertur, & iure quidem, ea quæ in moribus ad rectam rationem conformandis versatur disciplina. Ceterarum quoque liberalium artium suus cuique est honos. At quis harum omnium est scopus? quis finis? quæ meta? Politia scilicet, siue Ars administrandæ Reipublicæ: cui tanquam Reginæ, ceteræ omnes ancillantur. Huius vero artis quamuis à multis præcepta sint consignata & litteris prodita; pauci tamen sunt qui omne, quod dicitur, punctum tulerint. Quum enim varia sint non populorum tantum, sed hominum etiam ingenia, moresque

diuersi

diuersi, ac proinde aliæ quoque leges & instituta, alia imperij administrandi ratio, horum vero (vt infinita alia præteream) omnium cognitio Politico futuro maxime sit necessaria: fieri vix potest vt vnus omnium, præsertim ipso vsu & experientia (quæ optima quidem, sæpe tamen stultorum est Magistra) assequatur. Vita enim breuis est, Ars longa. Quocirca mihi omnes quicunque in hoc scriptorum genere elaborarunt, si non mirifica aliqua laude, excusatione tamen digni videntur. His si quis librū illum qui Italica lingua conscriptus sub titulo Thesauri Politici prodijt, accensere velit, meo

iudi-

iudicio, non aberrabit. Rhapsodiæ sunt, fateor, & varia veluti ad magnæ alicuius domus constructionem sine ordine, sine dilectu in vnum aceruum congesta materiatio: è qua tamen peritus aliquis artifex pulcerrimã Artis Politicæ arcem nullo negocio facilè sibi exædificare poßit. Eum librum, expetitum à multis, nuper in Latinam linguam conuertere cœpi, liberiori quidem, at fortaſſe non inconcinniori methodo ac ordine. Animus quidem initio erat, Relationes omnes, tum Instructiones, postea Diſſertationes sigillatim quasque persequi: at quum hæc pleraque eiusmodi sint vt subinde aliquid

addi, aliquid detrahi poßit, multa etiam mutari debeant, ordinem hunc commodißimum esse duxi, nullum seruare ordinem, sed varios in vna veluti areola flores conserere: è quibus decerptis, nitidam tibi ipse & pulcerrimam corollam facile poßis contexere. Reliqua huius Thesauri his quæ iam damus, cum Deo ad futuras nundinas subiungemus, accuratiori forsan stilo, & meliori iudicio.

INDEX

TABVLA SIVE INDEX APOTELESMATVM SIVE CAPITVM, QVAE HAC *Secunda parte Continentur.*

THE-

RERVM POLITICARVM

THESAVRI

PARS SECVNDA.

APOTELESMA XXX.

Quod est

TRACTATVS DE RELIGIONE: IN *quo demonstratur in eius præcipuè studio & cura Reipublicæ fundamentum, augmentum & conseruationem esse positam.*

INITIVM Sapientiæ, fonsque omnis boni est Timor Domini: sine quo omnium hominum consilia vana sunt somnia, & stultitia mera. Et profectò grauiter errat Princeps, existimans se solius humanæ Prudentię ope fretum, sine diuini numinis auxilio & seipsum & imperium vel statum gubernare posse. Quin etiam videmus plerumque eos, qui abiecta omni Religionis cura, Dei honorem susque deq; habent, horrendis modis puniri, & tristissimis calamitatibus tum quando nihil minus cogitant, inuolui. Quare opera danda est Principibus, vt subditi vera Dei cognitione & *Religionis vsus & necessitas.*

ne & timore siue Religione imbuantur, in eaque foueantur: persuasumque habeant, diuinorum præceptorum transgressionem & temporalibus pœnis in hac vita, & æterno supplicio in illa altera esse luendam. Hinc est quod plerique omnes qui Reipublicæ alicuius statum constabilire voluerunt, à Religione tamquam præcipuo fundamento, auspicium sibi sumendum duxerunt: quum ea vna veluti frænum quoddam sit quo subditi in vnius Dei cultu & adoratione, & debita erga Principem obedientia retinentur. Neq; enim superiorem aliquem in hoc mundo agnoscere aut ferre possunt, qui supremum illum cœli ac terrarum moderatorem non agnoscunt aut non reuerentur. Equidem facile hic nobis esset complura ex antiquis historiarum monumentis eorum afferre exempla, qui ad stabiliendam monarchiam præcipue Religione, aut prætextu quodam & simulata specie Religionis vsi sunt: cui mysteria quædam & varias cæremonias attexuerunt, vt earum admirabilitate populos quos legibus suis subijcere volebant, tanto obsequentiores redderent, & veluti Numinis quadam reuerentia in officio retinerent. His artibus vsi Numa Pompilius, Lycurgus, Sertorius, & alij, magnam sibi omnibus in rebus conciliarunt auctoritatem, quod scilicet nihil nisi consultis prius dijs, auspicari videretur, idq; etiam vltrò præ se ferrent. Alij qui nouam

Lo Repabl.

com-

comminiſci Religionem non potuerunt, antiquam & receptam in quibuſdam immutando, ſingularis opinionem ſanctitatis parere ſibi ſtuduerunt: vt Iſmael Perſarum rex & Harduellus eius cognatus, qui ad Mahumetanas leges nouis additis ſuperſtitionibus, magnas in Aſia res confecerunt. At peius etiam Hugonotæ in Galliarum regno, dum puriorem Religionem obtrudere conantur, nullo diuinarum aut humanarum legum habito reſpectu, & proculcata omni quæ Magiſtratui debetur reuerentia, omnia peruerterunt, & vniuerſale in Eccleſiam ſcandalum inuexerunt. Tandem verò tam alieni ab omni Religione deprehenſi ſunt, quam procul omnis eorum vita ab omni pietate abeſt: adeò vt veræ & Apoſtolicæ fidei quæ in ſola Catholica Romana Eccleſia pura ſemper permanſit, Deformatores potius quam Reformatores haberi debeant.

Perſæ religionem mutant.

Sed, vt ad rem redeamus, illud inprimis tenendum eſt, non eſſe vllam ad conſeruandum cuiuſcumque imperij ſtatum magis accommodatam, quam Chriſtianam Religionem: vtpote quæ conſcientiæ vinculo omnes homines ad Regis vel cuiuſcunque etiã moroſi & acerbi domini obedientiam adſtringit. Quid verò ad conſeruationem alicuius ſtatus vtilius reperiri poſſet, quam id quod ſubditis Regi aut Principi in omnibus plene obediendi neceſſitatẽ imponit? Quod

Chriſtiana Religio vnica & vera.

si ipse Saluator & Dominus noster IESVS CHRISTVS Imperatoris se subiecit legibus, dum & pro se & pro D. Petro Apostolo vectigal persoluit: quis dubitet discipulos, (si modo Magistrum, vt omnino necesse est, imitari velint) idem facturos. Hic mihi in mentem venit id quod in libello quodam à Patribus societatis Iesu edito, memoriæ proditum nuper legere me memini: fuisse scilicet nescio quem in Nouo Orbe Principem, qui quamuis paganus esset & idololatra, vbi tamen doctrinæ Christianę puritatem & simplicitatem cognouit, subditis confestim, vltrò permiserit vt Christianæ Religioni nomina darent, & sancto baptismate initiarentur, quod diceret, debitam se certò de Christianis obedientiam & fidelitatem sibi posse promittere, si legem cui sese obstrinxerunt, obseruare velint. Sed iam de ipsa Religione id quod ad nostrum maxime institutum pertinet, persequamur.

Mahumetanæ superstitionis impuritas

Ac primum Mahumetana Religio (vt hoc ei nomen precario tribuamus) è tot tamque absurdis fabulis, tamque monstrosis opinionum portentis concinnata est, vt falsitatis facile conuinci possit: quod quidem si solidis rationibus, magnum vniuerso Turcarũ fiat imperio periculum sit allaturum. Quid absurdius, quid magis ridiculum nugacissimis & impijs Alcorani fabulis? Equidem nullum somnium tam vanum est, quam nugæ illæ

Mahu-

Mahumeticæ : fraudes vero & imposturæ tam crassæ, vt mirum sit quemquam cordatum ijs decipi potuisse. Id quum homo astutissimus ipse animaduerteret, ac vereretur ne vel minimo admoto ariete tam imbecilla Nouæ Religionis fundamenta collaberentur: nouos eius stabiliendæ & stupidis hominibus commendandæ modos exagitauit. Ac primum legis suæ præcepta omnino ad sensum naturalem, & inferiora hæc siue terrestria accommodauit; ratus & obseruationē eorum hac ratione multo faciliorem, & carnis illecebris magis gratam futuram. Et sane versipellis ille impostor commodiorem rationem excogitare non potuit, qua crassæ illius omnique doctrinarum & humanitatis studio destitutæ gentis animos incantaret, & quidquid in eis generosi est spiritus, velut in profundo voluptatum & sensuum externorum cœno sepeliret. Idem de Luthero & Caluino est iudicium: quorum discipulis pro ludo & ioco fuit templa diripere, altaria deijcere, nouis nuptiarum modis matrimonij sacramentum polluere, omnemque erga legitimos Principes obedientiam abijcere & proculcare. Vt breuiter absoluam, omnis eorum religio & zelus ad ostentationem & fucum, & ad illum solum finem comparata fuerunt, vt doctrinæ suæ falsitatem prauarum cupiditatum illecebris commendarent.

Mahumetis fraudes.

Alter modus quo superstitiones suas stabiliuit

De religione Turcis disputare nō licet.

biliuit Mahumetes, is fuit quod de religionibus aut vllo earum articulo, nisi gladio, disputare seuerissime prohibuit: vnde & legem suam *Gladij legem* appellari voluit. Quocirca Turcarum Princeps, cui summa rerum omnium est potestas, idem omnium quæ in religione occurrunt controuersiarum judex est & arbiter, quas etiam ipse pro suo lubitu decîdit: adeò vt Nouatoribus locus non sit, qui quamprimum caput exserere cœperint, funditus & à stirpe amputātur & exstinguūtur. Et sane credibile est barbaros illos exemplum à Christianis Principibus capere: apud quos Religionum Nouitas & Varietas discordijs & turbis omnia permiscuit. Quæ omnia quum Turcarum Principem nequaquam lateant, nihil prius habet quam vt tanta incommoda, quanta noua affert legis interpretatio, auertat. Harduellus momento temporis hac ratione totam fere Asiam cōmouit, & Baiaseti II. res & statum in extremum discrimen adduxit. Sed profectò nihil est quod impuri huius nebulonis (Mahumetis scilicet) superstitionibus plus auctoritatis atque etiam roboris conciliat, quam quod summus ipse Princeps siue Imperator eas tam deuotè obseruat, tam demisse veneratur, & tam religiosè colit atque amplectitur, vt deuotius aut ardentius nihil fieri posse videatur. Nec minorē vim apud stupidos illos & barbaros homines, qui sensu magis quam ratione

ratione ducuntur, illud habet, quod ceteras nationes in ipſorum regionibus diſperſas tot tantisq́ue miſeriis & calamitatibus quotidie afflictas vident; vnde ſe ſolos Deo charos, ſuamq́ue Religionem vnice ei gratam & acceptam perſuaſum habent. Dici enim non poteſt quam crudeliter barbari iſti eos omnes habeant, qui ipſorum ſuperſtitiones non ſequuntur; ſed in primis nullum miſeriæ eſt genus quod in Chriſtianos non effundant.

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XXXI.

Quod est,

AN LITTERARVM STVDIA MILItiam eneruent,

DISSERTATIVNCVLA.

Libri an vtiles.

QVVM Gothi olim in Græciã irruissent, & torrẽtis instar omnia longè lateq; essent depopulati; quãplurimis direptis & euersis oppidis, inter cæteram prædã ijdẽ nacti sunt magnũ omnis generis librorum numerũ: quorũ vsum illi ignorantes quũ omnes vno igne cremare & abolere constituissent, quidam altum exclamans, Ne, inquit, ô populares, hoc facite, sed potius Græcis hanc pestem relinquite, quæ dubiũ non est quin breui omnem eis vigorem ereptura, Martiosque spiritus exhaustura sit: siquidem nulla re animi facilius effeminantur, quam litterarum studijs, adeò vt ijs dediti ad arma tractãda plane inhabiles reddãtur, &c. Similiter quũ Carolus VIII. Franciæ Rex paruo cum

uo cum exercitu totam Italiam percurrisset, & sine vllo, quod aiunt, ictu Regnum Neapolitanum & bonam Hetruriæ partem occupasset, omnibus tantam Italorum Principũ vecordiam admirantibus, Gallici exercitus duces præcipuam caussam litterarum studijs, quibus illi tum supra modum erant dediti, adscripserunt: quæ quum pacis tantum asseclæ sint, & ad eam vnicè accommodatę, corda emollire, vel potius emasculare, & ad pericula subeunda timidos homines reddere solent. Quin etiam hodie Turcæ Christianos tamquam imbelles despicatui habẽt, ob artium quibus dediti sunt, quasque exercẽt, varietatem. Quamuis enim ea sit humanæ vitæ breuitas, vt accuratam tot tamque variarum artium & scientiarum cognitionem vnus acquirere vix, ac ne vix quidem possit: videmus tamen plerosque omnes ad tot tamq; varia studia animos applicare, vt nihil velut intactum relinquere velint, parum illius memores, fieri vix posse vt vnus in omnibus excellat; & quanto pluribus studijs distrahatur animus, tanto longius abesse à perfectione. Econtra Turcæ omne studium curam & cogitationes in armorum tractatione ponunt, spretis ceteris artibus omnibus, nisi quæ ad bellum quodammodo sunt vtiles. Ex historijs constat Romanos bellica virtute cæteros omnes populos superasse: præcipuè verò quum literis & scientijs, è Græcia importatis,

Turcæ artes omnes spernunt.

Romani quo tempore maximas res gesserint.

tis, ceterisque Orientalium regionum delicijs portas nondum aperuissent. Nullo quidem tempore maior eorum virtus fuisse legitur, quam eo tempore quum Consules ipsi stiuam & aratrum tenerent, terramque colerent; artesque omnes Medicæ, Chirurgicæ,&c. incognitæ adhuc essent. Negari quidem non potest, sequentibus temporibus magnas quoq; & præclaras res ab eis fuisse gestas: at si verum dicere volumus, fatēdum erit auctoritate potius antè armis acquisita, quā virtute res eiusmodi vt plurimū fuisse cōfectas. Et sanè manifesto cōstat, eosdē quáprimū litterarū studijs & exoticis delicijs locū dederunt, continuis fere & ignominiosis cladibus fuisse affectos, vtputa à Iugurtha, Mithridate, Cimbris, Numantinis, Spartaco, Parthis, & alijs. Illud etiam in vniuersum historiæ testantur, populos omnium bellicosissimos, quique res maximè præclaras gesserunt, ab omni ferè humanitatis cultu & delicijs quam maximè abhorruisse: quippe quibus vnum illud studium erat, vt animos contra omnia pericula, atque adeò ipsius mortis metum armarēt, & corpus perpetuis durarent laboribus: doctrinarum vero reconditiorum aut scientiarum ne minimum quidem gustum habuisse, multoque minus quidquam admisisse quod ad animos eneruandos pertineret. Tales olim fuerunt, hodieque sunt Scythæ illi, quorum inuicti exercitus in interiores etiam Orientis regio-

Scytharum fortitudo.

nes ad Danubium vſque & ad Nilum penetrarunt. Superioribus temporibus ijdem, ductore Rege ipſorum *Quingo*, vniuerſum fere Orientem armis peruaſerunt, & miſerandum in modum vaſtarunt. Recens eſt earum quas auorum noſtrorum æuo magnus ille Tamburlanes geſſit, rerũ memoria: qui ſolus gloriari poteſt Turcicos exercitus acie à ſe victos & proſtratos, Principem eorum captum, & tanquam ſcabellum pedibus ſuis fuiſſe ſuppoſitum. Noſtro tempore Mogores, rudes & inexperti populi, Scythia, vel vt nunc loquimur, Tartaria egreſſi, magnã Indiæ partem occuparunt. Notum eſt magnum illum, quem vocant, Tartarorum Canum vel Chamum, hominem ruſticum & omnis doctrinæ expertem, inter potentiſſimos totius Orbis Monarchas non poſtremũ ſibi vendicare locum: quamuis idem gentibus natione barbaris, & ab omni ciuilitate longè remotis imperet. Nec deſunt in Europa nobis exẽpla. Heluetios videamus: quorum ingenijs quid craſſius, quid pinguius, quid incultius, olim præſertim? & tamen ijdem ad Nanceium in Lotharingiá, nec non in Italia ad Nouariam, Marinianum, &c. itẽque in Gallijs ad Druydarum vrbem & alibi paſſim res valde memorabiles geſſerunt; tãtaque in exiſtimatione habentur, vt etiam potentiſſimi Reges & Principes amicitiam ipſorum non expetant tantum, verum etiam

Et Heluetiorum.

maximo

maximo precio redimendam, eiſque ferè in quibus volunt rebus, morem gerendum ſibi putent. Sed præ ceteris omnibus nationibus Turcarum gens hac vitæ barbarie delectatur, omnesque artes quantumuis ingenuas & elegantes, contemtui habet, vt picturam, ſculpturam ſiue ſtatuariam; neque Architecturæ multum tribuunt, niſi quantum ad neceſſitatem: quin etiam duas illas, picturam, inquam, & ſtatuariam, tamquam impias & in Deum contumelioſas, deteſtantur. Litteras vero ſiue doctrinas & ſcientias pro ſtultitia habent: neque litteratis hominibus quidquam apud eos vilius & contemtius. In veſtibus nullum amant luxum; quas non acupictas, non laborioſe ſegmentatas; ſed è materia robuſta & integra geſtant. Fimbriæ illæ & mille veſtimentorum apud nos veluti phaleræ, ne notæ quidem ipſis ſunt: magnates tamen multo auro, eoq; putopuro veſtes ornare ſolent. In bello feroces potius & formidabiles quam mundi & elegantes haberi volunt; omnesque in armis ſuas voluptates ponunt, ſic vt nullus inter ipſos ſit qui non ad arma potius quā ad aliud quoduis exercitium aut artem natus eſſe videri velit. Id quod tum maximè apparet quando bellum aliquod gerēdum eſt: tum enim qui non euocantur, ſumma ſe contumelia affectos, vitamque omnem acerbam ſibi putant. Hinc ijdem in omnibus belli actibus, obſi-

dionibus,

dionibus, oppugnationibus, velitationibus, pugnis tam equeſtribus quam pedeſtribus, tam terra quam mari vehementer etiam à noſtris militibus timentur, non ob fortitudinem tantum & vitæ prodigalitatem; verũ etiam bellicarum rerum omnium ſcientiam & artem: cuius non exigua olim quum Hydruntum tenuerunt, & contra vniuerſæ Italiæ vires pertinaciſſime diu vſque ad mortẽ Mahumetis II. defenderunt, in Italia veſtigia reliquerunt, vbi noſtri homines eorum in muniendis locis induſtriam admirati primum ſunt, deinde etiam, exemplis inde captis, imitari cœperunt. Tanta quidem eorum in bello virtus, tam laborioſa induſtria exiſtimatur, vt locus nullus ſit tam munitus, nullum facinus tam difficile, quod illi aggredi non auſint, & vt plurimum non feliciter conficiant.

Sed vt ad litterarum ſtudia & ſcientias redeamus, dicat mihi forte quiſpiam: Quid? ergone cenſes litterarum ſtudia ad militarẽ gloriam tendentibus eſſe impedimento? aut homines ad arma tractanda plane reddere idoneos & perfectos? Neutrum quidem, ſed contra potius ſentio, ſententiæq́ue meæ auctores vel adſtipulatores grauiſſimos iam laudabo. Duo illi ſplendidiſſima rei militaris lumina magnus Alexander, & Iulius Cæſar, qui vtrum virtute an fortuna plus valuerint incertũ eſt, an non in omni literarum & ſcientiarum *An litteræ impedimento ſint militiæ.*

entiarum genere excelluerunt? Equidem sic existimo, sine historiarum lectione, & Mathematicarum disciplinarum cognitione, vix quemquam boni Imperatoris aut bellici ducis nec nomen acquirere, nec officiũ prę-stare posse. Historia enim ob exemplorum tam bonorum quam malorum successuum varietatem hominis pectus instruit, vt prudentius omnibus in rebus procedat, & in deliberando maturis consilijs, in conficiendo vero celeritate vtatur: Mathematicæ vero disciplinæ intellectum subigunt, & iudiciũ acuunt, tam ad excogitandas bellicas machinas, quam ad aciem disponendam, & loca munienda. Quocirca omnino fatendum est, litterarum ac disciplinarum cognitionẽ rei militaris candidatis siue studiosis magno esse adiumento, & animos ad arma inclinatos ad perfectionem quamdam disponere atque promouere: vnde etiam antiqui vnã & eamdem Palladem siue Mineruam & litterarum & armorũ præsidem esse voluerunt. Quamuis autem Turcæ, vti supra dictũ est, omni litterarum cognitione fere careant, & nihilominus bellicosi habeantur: videmus tamen Principes Ottomanicæ stirpis qui omnium maximas res gesserunt, Mahumetẽ scilicet II. Selymum & Solimanum tam in historicis quam Mathematicis studijs apprime fuisse versatos, & virtuti militari nõ leue inde pręsidium petijsse. Etsi enim animi ro-

bur siue magnanimitas Naturæ quodãmodo donũ est: certũ tamen est homines omnis litteraturæ & disciplinæ expertes vt plurimum incautos esse, dubios, timidos, & verbo dicam, vecordes. Exemplo sunt Ottomanidæ Turcarum Principes. Inter quos Baiasetus II. & Corcas eius filius non illiterati quidem fuerunt, nullas tamen res memorabiles perfecerunt, quod naturæ quadam imbecilitate ad bella gerenda parum apti essent. Ex quibus sane apparet litterarũ studia ad militarem artem perfecte addiscẽdam multum prodesse; in primis vero in ijs quos Natura animo quodam robusto & intrepido donauit. Ad gregarios milites quod attinet, equidem vnum in eis requirendum arbitror, vt scilicet promte obedire sciant: adeo vt etiam vberiorem litterarum cognitionem inutilẽ eis putem, siquidem vt Poëtæ verbis vtamur, Ingenuas didicisse fideliter artes emollit mores, nec sinit esse feros. Hinc fit vt isti tales quietẽ ament, labores & pericula fugiant, mortemque timeant; vitam denique magis ad ciuilitatem quamdam instituere & conformare, quam gloriæ acquirendæ studio periculis exponere studeant: quæ omnia à boni militis officio longe absunt, quod vnicum est, vti diximus, recte obedire, & arma ad oppugnandum hostem benè polita in promtu semper habere.

FINIS.

THESAV-

THESAVRI POLITICI APOTELESMA XXXII.

In quo tractatur,

VTRVM MELIVS SIT ET COMMODIUS in bello vltrò ad hostem oppugnandum exire; an domi impetum eius excipere & vim propulsare.

DIfficilis admodum & multorũ disputationibus vexata est quæstio, Præstetne in bello vltro hostem oppugnare, an vim eius domi nostræ exspectare & propulsare? Langæus quidem, Macchiauellus & alij nostræ ætatis scriptores satis prolixe quęstionem hanc tractarunt. Quod si mihi quoque iudicium meum interponere heic liceat, equidem existimo melius semper esse prius assilire quã dum ab alio assiliaris exspectare: id quod præstantissimos militiæ duces, Alexandrum Magnum, Annibalem, Scipionẽ, Iuliũ Cæsarem aliosq; re ipsa fecisse historiæ testantur; qui omnes eos qui aliter sentirent, minime audiendos,

ſed procul à conſilijs habendos, niſi quis decipi velit, ſuo exemplo docuerunt. Ac ſane ſi aliter feciſſent, quis nõ videt eos grauiter erraturos fuiſſe? Sunt quidem qui neſcio quam ſubtilibus argumentis contrarium demonſtrare conati ſunt; quorum tamen rationes parum validæ ſunt, inprimis quod attinet ad bellum Turcis inferẽdum. His eos quoque annumerandos exiſtimo, qui neſcio quæ noua inuenta & machinas iactant, & mirabiles earum effectus promittunt, neque tamen vlterius progrediũtur, quam quod ſimplices quaſdam formas in charta adumbrant; aſt tum demum quãdo ad rem ipſam venitur, quantum inter ſuperficiariam delineationem & effectum ipſum interſit, non ſine ſtupore intelligũt. Sed vt ad rem redeamus, certum eſt ei qui alterum aſſiliat plus animi eſſe quam ei qui vim exſpectat & propulſat tantum: ſiquidẽ ille, dum hic media quibus ſe defendat circumſpicit, iam à principio quid facere velit, deliberatum habet. Deinde bellũ quod infertur, ſemper plus habet commoditatis quam quod propulſatur: quum aſſiliens in ipſa quam inuadit regione multa inueniat ad res ſuas opportuna. Vt, exempli gratia, ſi vnum aut alterum è ſubditis nouerit qui Principi quem ipſe inuadere conſtituit, infenſi ſint, quam facile erit eos ad ſuas partes pertrahere? quin etiam ſæpe occaſio v-

niuersalem seditionem excitandi sese offert. Quę omnia si diligenter obseruentur, assulturi propositum multum iuuare possunt. Sic Carolus 8. Rex Franciæ facilē sibi aditum ad Neapolitanum oppugnandū regnum aperuit. Sic Ludouicus 12. Insubriam suo subiecit imperio. Ijsdem de caussis Mamalucorum imperium Selimo 1. cessit. Sed & alia longe validiori ratione sententia hæc comprobari potest. Hoste enim ante portas stante, quis nescit omnia timoris & periculi ita plena esse, vt omne fere consilium ciuiū animis excutiatur? Tum enim vndiquaque turbæ inopinatæ emergunt, omnia suspecta sunt, & ad tractandum ita difficilia, vt ad quemnam Diuorum ad Diuarum confugere debeamus, incerti ac velut attoniti hæreamus. Quum enim multis locis prouidendum, ac pręsidia huc illuc vbi maxime opus fuerit, distribuenda sint: fit plerumq; vt rebus nostris ab vna parte pacatis, ab altera nouæ turbæ exsistāt. Pręterea copijs huc illuc distributis, exercitus imminuatur necesse est; ex quo fit vt hostis libidini omnia relinquantur, ac tandē Respublica in pręsentissimum veniat discrimē. Quod si quis copias siue exercitum diuidere nolit, is multa loca hosti occupanda relinquet, vnde ille pedetentim progredi & arma vlterius proferre possit. E contra etiamsi quis inuadenti paribus cum copijs & viri-

viribus alacriter sese obijciat, in eius nihil-ominus arbitrio erit vel confligere vel pedem referre: id quod totum à iudicio sapientis imperatoris dependet, qualis Solimanus fuit, qui Carolo V. ad defensionem alacriter properante, exercitum ex Hungaria reducendum sibi existimauit. Et quamuis periculum sæpe in ipsum assilientem, quãtumuis cõsilio manuq; promtum ac strenuum, recidat, aut certe recidere possit: credibile tamen est, non propterea victi res ita afflictas fore vt restaurari nullo modo possint, præsertim si ea quam inuaserat regio à ditione ipsius hæreditaria longe sit dissita. Exemplo sit Franciscus rex Franciç, cuius ad Ticinum clades & captiuitas victori ad summam rerum nõ multum profuit, nec Franciæ regno (quod multi putabant) mutationẽ aut exitium attulit. Quin etiam facilius est fusum & dissipatum exercitum in peregrina quam propria regione recolligere & redintegrare. Nam si domi sinistre cadat prœlium, fortunaq; nos deserat; statim homines nouarum rerum cupidi cristas erigunt, beneuoli vero metu attoniti obstupescunt, ita vt parũ ab eis auxilij sperãdũ sit. hinc opus est cõsternatos rursus bonã in spẽ erigere, in primis vero eorũ quos fidos nobis experti sumus, reliquias diligẽter recolligere, eorũq; custodię quę reliqua sũt loca patrię permittere: quę omnia hosti *Exemplo Gallorum regis.*

tam vicino, quantum periculi & difficultatis habeant, nemo non videt. Econtra vero clades forte procul à nostris regionibus in aliena terra accepta, subditos nostros tanto metu nequaquam percellet; quinetiam eosdem ad opem multo promtius ferendam excitabit, quo scilicet periculũ quam possunt longissime à se depellant. Equidem Macchiauellum hic magno in errore versari video, existimantem atque etiam pertinaciter asseuerantem, si Romani tres illas insignes clades, quibus ab Annibale affecti fuerant, extra Italiam accepissent, numquam eos tam facile, vt quidem fecisse eos legimus, dissipatas copias restauraturos fuisse. Opinionis suæ fundamentum in eo ponit, quod ait, si extra Italiam Romanorum tum fuisset exercitus, non potuisse fieri vt tam bene, aut tam cito restitueretur, rursusque victori insultanti obijceretur. Sed profecto egregie decipitur Macchiauellus. Constat enim ijs cladibus quas Romani in Italia acceperunt, non solum ad bellum aptæ iuuẽtutis florem, sed multas etiam ciuitates & oppida amissa; tum multos populos ad rebellandum excitatos, qui vtplurimum victoris sequuntur fortunam, & orientem solem, quod dicitur, adorant: quæ numquam contigissent, si non in ipsis veluti patriæ viscerib. clades ista hæsisset. Quin etiam, si Annibal victoria vti sciuisset, actũ de Ro-

Macchiauelli error.

de Romanis fuerat: adeo vt fatendum sit, Romanorum vires plus quam humanas fuisse, Deique consilia vt plurimum rebus eorum interuenisse. Nam cuius animi quæso, fuit, quod tam multis ciuium millibus cæsis, nec fugitiuos recipere, nec captiuos liberare voluerunt; immo etiam quosdam ignominia notarunt, alios vero in Siciliam deportandos curarunt? His equidem rationibus eas quæ à Macchiauello adferuntur, satis superque refutatas esse arbitror. Verũ antequam finem huic imponamus Dissertatiũculæ, de Turcarum progressu aliquid dicendum videtur. Ac primum desidiâ & malo quodam fato Christianorum factum arbitror, vt imperij sui in Europa Turcarum Princeps tam lõge lateque protulerit. neque vero hoc ea ratione consequutus est, quod scilicet, secundum Macchiauelli sententiam, domi desederit, hostemque exspectarit, sed quod foris eum quæsierit & oppugnarit. Hoc enim & non alio modo vicinos omnes subegit, suasque vires ita auxit & stabiliuit, vt domi eius oppugnandi nõ dico conatum, sed ne cogitationem quidẽ vix quisquam Christianorum Principum suscipere audeat. Plerique omnes quidem Christianæ Reipublicæ in primis vtile & salutare futurũ persuasum habent, si Turcæ in suis ipsorum regionibus oppugnentur: at qui primus glaciem hanc frangere,

Romanorũ inuicta fortitudo.

Quibus modis Turcæ imperium propagarint.

 aut

aut pontem sternere ausus fuerit, iam diu inuentus est nemo. Quod si tamen Deus eam nostris mentem & alacritatem inspiret, vt tam atroces tamque multas iniurias, quibus miseros Christianos hactenus perditissimi homines pessime afflixerunt, vlcisci, & quas tristissima oppressas seruitute tenẽt, regiones liberare velint: equidem alia nulla ratione aut via vtendum censeo quã ea qua ipsi sunt vsi, vt scilicet domi ipsos assiliamus, eosque quos ipsi vsurparunt modos persequamur, & in suscepto semel conatu constanter perseueremus. Quod si fecerimus, Deumque, vti sperandum est adiutorem habuerimus; est quod non minores de ipsis victorias speremus, quam ipsi longo iam tempore de nobis reportarunt.

Satis superque tam inhumani ductoris magisterio siue pædagogio vsi sumus, & MineruaI nimis preciosum pendimus. Iam tempus est vt is ipse non indociles nos fuisse, suo malo experiatur, & quod interest, multo liberaliori manu refundatur. At ne quis existimet Turcas domi oppugnare rẽ esse summa cum difficultate & periculo cõiunctam, operæ precium est duo nõ ita vetusta & plerisque nota exempla in promtu habere. Numquid Andreas Doria exigua cum hominum manu & paucis nauibus in Græciam descendere non dubitauit, & no-

Turca domi assiliendus.

bilis-

bilissima duo oppida, Patras & Coronem, in suam potestatem redegit? Sed memorabilius est quod Ioannes Austrius Anno 1571. fecisse legitur, qui ad Echinadas vsque hosti obuiam profectus, classem eius, qua validior eo in mari visa non fuerat, multo minori classe & paucioribus copijs oppugnauit, & Dei auxilio ita fudit ac dissipauit, vt inter paucas victoria illa cum primis memorabilis habeatur. Turcarum quidem Princeps nihil magis metuere dicitur quam ne domi à Christianis oppugnetur, quod & eorum virtutem animique robur perspectum habeat, & qui sub ipsius imperia plurimi sunt, Christianis diffidat: qui si nostra insignia exercitusque bene instructos ante suas veluti fores conspexerint, procul dubio & ipsi arma capient, & communem hostem vltro profligabunt.

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XXXIII.

Quod est

DE OCCASIONE,

ET QVANTVM ILLA IN REBVS *humanis, maxime vero in bello poßit; quamque impigre celeriterque arripienda sit,*

DISSERTATIO.

Pictura occasionis.

VEteres illi Romani vt Occasione siue Fortuna, quam vti Deam colebant, bene vtendum esse monerent, ita eam depingere sunt soliti. Muliebris statua globo insistebat, pedibus alatis, caluo occipite, fronte vero capillata. qua quidem pictura innuebant, Occasione nihil celerius esse aut volubilius; ac proinde eam quam diligentissime obseruandam, & à fronte, quum postica calua sit, arripiẽdam. Et sane vix quidquam in omnibus hominum actionibus laudabilius est atque

vtilius,

vtilius, quam Occaſione recte vti; inprimis autem in bello, vbi, quod argute quidam dixit, bis peccare vix licet. Hæc enim non poſtrema eſt earum virtutum, quibus imperatorem ornatum eſſe oportet. Eſt autẽ Occaſio nihil aliud, quam opportunitas quædam, fortuna magis aut caſu oblata, quam prudentiæ beneficio quæſita, res noſtras bene gerendi, aut immature deliberata ſuſpendendi; vt quod agimus, ad felicem exitũ perducatur. Atq; hoc illud eſt quod pagani illi & infideles, quos Deus ad caſtigandos nos excitauit, omni ſtudio amplexi & perſequuti ſunt; quo etiam viciſſim nos contra ipſos vti deberemus, ad ſolatium noſtri, & gloriam diuinæ Maieſtatis, cuius ira contra nos, vt video, nondum placata eſt. Omnes denique qui imperij ſui fines amplificarunt, in hanc vnam (Occaſionem ſcilicet) maxime intẽti fuerunt, & ex recto eius vſu incredibiles vtilitates perceperũt. Id quod ex Græcorum & Romanorum hiſtorijs & exemplis abunde demonſtrari poſſet: ſed ijs tamquam à noſtro tempore longius remotis, & veluti vetuſtate quadã obſoletis, propiora recordemur. Pipinus & Carolus Magnus, à ſede Romana in Italiam; itemque Carolus Andegauenſis in regnum Neapolitanum accerſitus fuit. Arragonenſes à populo in Siciliam inuitati, & à Ioanna II. Regina in regnum Neapolitanũ

Occaſio quid.

Occaſio quibus Imperia pepererit.

introducti fuerunt. Et hi quidem omnes Occasioni minime defuerunt, sed ad auxilium tantum vocati, imperium sibijpsis pepererunt. Quæ hodie familia in vniuersa Europa plura regna, plures regiones ac ditiones possidet, quam Austriaca? atqui eorũ pleraq; connubijs, tutela & similibus Fortunæ beneficijs sunt quæsita. vnus quidem Belgicas prouincias suo adiecit imperio; alter Hispanias addidit; tertius ne quid ad sũmum illustrissimæ familiæ deesset fastigiũ, Lusitaniam quoq; & immensas vtriusq; Indiæ regiones acquisiuit, imperiumq; suum ijsdẽ quibus solis cursum finibus terminauit. Quod si rerum humanarũ inconstãtiã & varietatẽ considerare voluerimus, fateamur profecto necesse est, vires etiam maximas Occasione destitutas inutiles, aut certe parũ fructuosas esse. Ottomanidæ Turcarũ Principes tam grande imperiũ nulla re magis stabiliuerunt, quam quod occasiones à Christianis per summã ignauiam, & non sine probro & scelere velut vltro ipsis datas auide arripuerunt: inter quas prima fuit Græcorum Imperatorum ignauia, qui in libidines toti effusi, Sardanapali & Heliogabali vitam imitati sunt, turpissima monstra & mancipia omnis nequitiæ & luxuriæ effecti. Hinc, vt fieri solet, eorum mores imitati subditi, omnisq; generosi spiritus obliti, facilẽ modo huius modo illius regni &

Turcæ quibus occasionibus imperium quæsiuerint.

pro-

prouinciæ occupationẽ hosti reliquerunt. Secunda occasio qua Turcarũ res vehemẽter auctæ & promotæ sunt, fuit Græcorũ à ceteris Christianis Principibus dissidium. Quum.n. multi per Europá Principes fœdus de recuperanda Palæstina siue Terra Sancta inijssent:tantũ abest vt Greci,prout debebant,tã salutare cõsiliũ sanctũq; ꝓpositũ approbarent, vt etiã nullum nõ mouerint lapidẽ,quo suscepta expeditio impediretur, aut Christiani exercitus progressus sisteretur: nec cogitabant miseri homines, hac ratione Turcis ingentẽ fenestrã ad tyrannidem patefactũ iri. Quod & euenit postea,quũ Turcæ temporibus insidiati,Christianorũ vires defessas iam & distinctas, ex vniuersa Palæstina eiecerũt & profligarũt: deinde etiam contra Grecos cõuerso impetu,imperio eos deiecerũt, ac diu pessime habuerũt,hodieq; habent; tanto minus cõmiseratione dignos, quod ipsi nõ sibi tãtum, sed omnib etiam Christianis suo, quod dicitur, iumento tanta mala & calamitates, quas hodieque sentimus, accersiuerint.

II. Occasio.

Græcorum ignauia & perfidia.

Dissidia porrò, querelæ & oppressiones Græcorũ Principum inter se, tertiã Occasionẽ Turcis augendi vires suas præbuerũt; & potissimũ eo tempore quum Imperator Constantinopolitanus Amurathem I. eius nominis Turcarum Principẽ ad ferẽdã sibi opem, per summã imprudẽtiã euocauit. Et hic

III Occasio. Dissensiones Imper. Constant.

hic quidem, in omnes occasiones animo & oculis intentus, copias suas in Græciam libentissime transmisit, non tam ad iuuandū Imperatorem, quam ad explorandam & tanto facilius postea occupandam regionem. Quum enim milites eius è Grecia reuersi, multa de regionis fertilitate, amœnitate & diuitijs narrassent; homo auidus & naturâ rapax ita exarsit, vt prius non conquieuerit, quam traiecto Hellesponto, in Europa sibi & successoribus Imperij sedem fixit.

IV. Occasio schisma Græcæ Ecclesiæ à Romana.

Quartam occasionem Turcis proferendi sui Imperijs schisma siue diuortiū Græcæ Ecclesiæ à Romana, peperit: quo quidē Principum animi vtrimque ita fuerunt exacerbati, vt firmo aliquo federe coniungi nunquam postea potuerint. Hinc factum est, vt nihil vel ad promouendā rem Christianam, vel ad sistendum effusum communis hostis impetum, eorum quisquam voluerit; nec si voluisset postea, potuerit moliri. Quid mirum igitur, hostem vigilātissimum, Christianorum secordia & dissidijs abusum, res suas tantoperé interea stabiliuisse, quum nemo esset qui vel leuissimum ei obijceret impedimentum, sed omnes veluti data opera ad commune, quo & ipsi & alij conflagraturi erant, incendium, fomites & ligna congererent. Et hæc quidem calamitas tanto tristior fuit, quanto à pauci-

paucioribus tamquam ab vltrice Dei manu profecta, potuit agnosci.

Ad hæc mala ingens facta est accessio, postquam etiam nonnulli Italiæ Principes Turcarum auxilia implorarunt, atque ita iuratis Christianorũ hostibus nostra quoque maria & portus, tamquam amicis & cõfederatis, aperuerunt. Facinus profecto coram Deo & hominibus abominabile, & extremi periculi plenum! Sed ne dicis tantũ caussa hæc fingere existimer, eorum qui tã turpi dedecore sesecommacularunt, exempla aliquot & nomina recensebo. Alphonsus 2. & Ludouicus Sfortia Dux Mediolanensis Baiesethem 2. vnus quidem contra Gallos, alter contra Venetos euocauit. Isabella Hungariæ regina ad Solimani contra Ferdinandum Romanorum Regem auxilium confugit. Francisco 1. & Henrico 2. Francorum Regum rogatu classis Turcica non tantum mare Ligusticum traiecit, sed ad Niceam quoque & in Corsicam exscensione facta, innumeram Christianorum multitudinẽ, nulla sexus, nulla ætatis habita ratione, in tristissimam seruitutẽ abduxit. Sed hæc satis. *V. Occasio. Italicorum Principum temeritas & ambitio.*

Sexta Occasio qua feliciter Turcæ vsi sunt, meo quidem iudicio è magno Christianorum Principum numero processit: è quo facile ipsi colligebant, fieri non posse quin in tanta Principum multitudine vix quid- *VI. Occasio, Multitudo Principum apud Christianos.*

quidquam suspicionibus, æmulatione, inuidia & metu vacet. Sic igitur vniuersũ Imperium in tam multa dominia & veluti mẽbra divulsum, non potuit non vehemẽter debilitari: siquidem virtus vnita & veluti vnam in massam aut corpus cõpacta, multo fortior est, quam dispersa veluti & in multas partes diuisa. Illud vero longe peius est, quod ex hac Regnorum & Principatuum si[illegible] Dominiorum distractione ambitio & vires suas augendi desiderium in Principibus exstitit; quę ambitio deinde, vt fieri necesse est, voluntatis & studiorum diuersitatem, adeoque ipsam discordiam generauit. Ex his suspicio nata est (cõmunis inter Principes pestis) quæ vnioni omnem aditum pręclusit, vt nulla spes sit federis inter Christianos Principes vel ad defensionem vel offensionem, contra Turcas ineundi. Et ad defensionem quidẽ fedus contra Turcas facere, difficile admodũ fuerit, quum tam lõgo interuallo dissitę sint Christianorũ Principum regiones: quorum qui lõgissime absunt, etiã à periculo lõge se abesse existimãt & ætatẽ securi degunt. Sed & ad offensionẽ fedus contra Turcas conciliare, non minus habet difficultatis: quũ vtilitatis siue commodi spes valde dispar sit & inæqualis. Vix vero quisquam est qui vicini sui commoda non limis spectet oculis, eiusq; magnitudinẽ non inuisam simul & suspectã habeat. In federibus quidẽ eiusmodi & armorũ cõ-

functionibus qui vel portus habet vel prouincias, ad bellũ gerendũ aut parta tuenda aptissimas, grauissimis apud reliquos suspicionib' & inuidia laborare solet: & verũ est illud, neminẽ esse quin sibi quã alteri bene esse malit. Et hæc quidẽ sunt quæ obstant quo minus Christianorũ vires ad cõmunẽ propugnandã salutẽ, vniri ac cõiungi possint. Sed & vnusquisq; fere Principũ exspectandũ sibi potius putat, dũ tẽpus Ottomanidarũ Statui siue Imperio mutationẽ aliquam afferat, res vero ipsorũ constabiliat, quã vt periculũ aliquod ipsi sibi subeũdũ, aut impensas nõ necessarias, vti ipsis videtur, faciẽdas sibi putent. Huic illa quoq; forsan possit addi ratio: quodquũ singulorum vires per se parũ sint validæ, eorũ nemo, sollicite vires suas cũ aliorũ virib. cõparando, generosũ aliquod cõsiliũ capere ausit: quæ cunctatio siue sui ipsorũ diffidentia multo plus quoque virib. detrahit, ita vt si deinde in hostẽ potentiorẽ inciderint, eius libidini oẽs ipsorũ fortunæ & vita etiam maneat exposita Hoc modo Veneti Longobardiã fere subiugarũt: sed quũ Insubriã quoq; siue Mediolanensẽ Ducatũ tentassent, cohibitus eorũ fuit progressus, & limites ab illa quidẽ parte, imperio ipsorũ sũt positi. Eadẽ ratione Franci iam olim oẽs in Gallia Principes im pio exuerũt: quũ vero ad Hispaniç vsq; fines arma protulisset, vicinorũ virib'

impe-

impediti, quasi e medio cursu reuocati sũt, & subsistere coacti. Turcæ similiter, quum vniuersas fere Græciæ, Macedoniæ, Bulgariæ & Seruiæ Principes, vt ita dicam, deglutijssent; cõuersis in Hungariam armis, multo plus quam putabant difficultatis repererunt. Tam enim Reges aliquot quam populi ipsis subditi, lõgo vsu iam bellis assueti, primos aliquot eorum impetus fortiter exceperunt & retuderunt; in primis vero Rex Ladislaus, & Matthias Coruinus, quorum multæ illustrissimæ de Turcis victoriæ feruntur. At quamprimum tam Reges quam populi degenerare, & relictis armorum studijs, voluptatibus & ignauię sese dedere cœperunt, sequutæ sunt tristissimæ illæ ad Belgradum & ad Mogacium clades: quæ profecto exitium Hungariæ attulissent, nisi Deus illustrissimam familiam Austriacam (ad quam deuolutum erat regnũ) excitasset, quæ Germanorum Principum, inprimis vero Catholici Regis, cui Turcarum vires numquam formidabiles fuerũt, opibus freta, misere lacerati Regni reliquias egregie hactenus defendit, & insolentissimi hostis progressum retardauit. Venetorum quoque Respublica sola sæpe, aliquando etiam Pontificis & Hispaniarum Regis classibus adiuta, magna cum laude suos fines contra Turcas defendit. Illud quidem nostro tempore commode cecidisse videtur

tur, quod regiones Turcarum imperio cō-
fines, nec à tam multis nec tam exiguarum
virium Principibus tenentur, vt olim: ex
quo illud boni ſequitur, vt iam multo fa-
cilius defendantur; eæ inprimis quæ Hiſpa-
niarum Regis armis & viribus nituntur,
quæ Turcis maxime ſunt formidabiles, ad-
eo vt ſine periculo tentare vix quidquam
poſſint. Solus enim Catholicus Rex is eſt,
qui ſine vllo metu Turcarum arma pro-
pulſare, & bellum etiam ſuis viribus vltro
eis inferre poſſit; ſic vt tam potentis Regis
metu non tam facile, vt antea, ad arma pro-
ſilire auſint. Sed & Moſcouitarum Prin-
ceps, & Poloniæ Rex, itemque Perſarum
Monarcha, quorum fines Turcarum quo-
que imperium attingunt, quorumque vi-
res illi non ſemel ſunt experti, fibulam ve-
luti & obicem graſſanti tyranno facile po-
nere queunt.

VII. Occaſio Diſsidia religionum.

Septima Occaſio quæ Turcarum impe-
rio magnum dedit incremẽtum, ſectarum
eſt, ſiue religionum inter Chriſtianos diuer
ſitas & multitudo, quibus iam olim tam
corda quam vires Chriſtianorum diſtractę
ſunt, dum Catholici arma arripere, & con-
tra damnoſa & peruerſa ſectariorum con-
ſilia defendere ſe ſunt coacti. Sed inter om-
nes eiuſmodi mortiferas contagiones, nul-
la maiori cũ damno & periculo latius ſpar-
ſa eſt quam ea quæ vulgo Hugonotarum

siue Caluinistarum dicitur. Hęc illa est quę subditorum auribus rebellionem contra Principes insusurrauit, persuasitque, licere Religionis caussa, sine vlla macula perfidię, arma capere: qua quidem ratione, armata scilicet manu, perniciosũ suæ sectæ virus illi longe lateq; sparserunt. Hi ijdem Ioannã Nauarræ reginam contra Regem & Catholicos armarunt: in Anglia vero, traducta in suas partes Elisabetha Regina, ea incendia excitarunt, quibus totum illud regnum postea conflagrauit, vniuersi etiam Christiani orbis quietem cõcusserunt & perturbarunt: Catholicis è toto Angliæ regno profligatis, & crudelissime, tam quoad fortunas quam corpora ipsorum, vexatis. Quamquã vero harum persequutionum & suppliciorum caussam non Religionem, sed Rebellionem & Crimen læsæ Maiestatis, adeoq; tam clandestinas quam apertas contra Regni Statum machinationes fuisse, videri velint: tyrannicus tamen contra reos, sine vlla iustitiæ aut æquitatis forma, procedendi modus facile contrarium euincit. Hac quidem arte olim quoq; Ariani vsi sunt, salutẽ siue Statum Reipublicæ vel Imperij persequutionibus quibus Christianos diu vexarunt, prætexentes. Interea quidem dũ Christiani mutuis vulneribus conciduntt, Turcæ imperium suum mirum in modum auxerunt & confirmârunt, vt iam omnibus

Chri-

Christianis Principibus, nedum singulis, sint formidabiles.

Quid quod etiam nonnulli eò impietatis proruperunt, vt abiecta religione Christiana, Mahumetanæ nomen dare, & infidelibus illis nõ solum secreta Christianorum prodere, sed ipsorum quoque copijs duces se præbere non dubitarint? Quæ quidẽ pro octaua Turcici imperij magnitudinis caussa vel Occasione haberi possit.

VIII. Occasio, Apostatarum perfidia.

Ad nonam quod attinet, considerare oportet quanta astutia in omnibus rebus & actionibus Turcę vsi sint. Equidem ita existimo nulla re Turcarum contra Christianos conatus & insultus promotos fuisse, quam frequentibus, quas de industria cum Principibus nostris susceperũt, inducijs & pacificatorijs Actionibus, quibus illud consequuti sunt, vt ex improuiso deinde nostros secure degentes adorti, facilẽ victoriã reportarint. Nec minoris momẽti illud est, quod Turcę nunq̃ contra quẽq̃ Christianorũ Principum bellum susceperunt, tam ad sui imperij defensionẽ, quam alieni inuasionẽ, nisi rebus domi plane pacatis, & finib' contra vicinos & quoscumq; hostes, sed in primis contra eos quorũ iniurijs magis opportuni erant, probe munitis; ne ipsis externo bello occupatis, alius res domi turbaret, & prouinciam aliquam ab imperio auelleret, sibique subijceret.

IX. Occasio, Turcarum astutia in faciendis inducijs.

 Quid

Quid enim aliud sibi vult pax illa, quam cum Polonis tam longo tēpore coluerunt, & etiamnum colunt? Idem eorum consilium tam diuturna pax cum Venetorum Republica ostendit. Sed & longa illa cum Gallis siue Francis pax & veluti quædam societas manifeste docet, quam sollicite id vnum curent Turcæ, ne consilia ipsorum & conatus ab externo aliquo & ex improuiso superueniente hoste turbētur aut impediantur. Inducias quidem illi sæpe, semper vero sibi vtiles cum Imperatore fecerunt. Superiori tempore quando grauissimum eis contra Persarum Regem instabat bellum, astute admodum inducias ab Catholico Hispaniarum Rege impetrarunt. Illud vero inprimis Turcarum Princeps studet, vt pacis & belli sit arbiter, vtque suorum consiliorum telam quà vi, quà astu pertexat, non sine ingenti Christianorum Principum damno & probro, quibus ille tantopere est formidabilis, vt pacem aut inducias quamuis noxias & turpes cum eo facere, quam vires eius experiri malint, & sic præclaras sæpe domandi eius occasiones elabi sibi patiantur. Cuius rei vix vllum clarius exstat exemplum quam illud quod nuper bello Persico accidit: in quo à Persarum rege vno ad Taurisium prœlio octuaginta Turcarum millia cæsa dicuntur præter eos qui passim velitationibus alijsq; certaminibus

nibus absumti fuerunt. Quæ vero melior ac pulcrior occasio, ô Principes Christiani, acceptas iniurias vlciscendi, & crudelissimi Tyranni exscindendi vobis potuisset offerri? Fierine potuit, vt amisso exercitus robore, & auctoritate ipsius collabascente, mutationem aliquam Turcarum res non sensissent, si modo vos Occasioni quam Deus dederat, non defuissetis? sed vos quidem in vtramque stertitis aurem, nec quidquam habetis in promtu, quo nocere ipsi queatis. Peccata scilicet nostra sunt quæ Turcis fores ad nos aperiunt, quæque ciuili bello miseras Christianas prouincias ita lancinant ac distrahunt, vt ab interitu non procul absint. Galliæ illud quondam florentissimum regnum, & Belgium quis videat; vbi tanta contentione tantisque odijs certatur, vt non nisi cum alterius partis exitio certamen desiturum videatur. Hinc Reges & principes domesticis turbis componendis non sufficiunt, adeoque ipsi maximis in periculis versantur: tantum abest, vt in communem hostem arma conuertere possint. Vicini vero, suam rem agi putâtes, quum proximus ardet paries, suæ suorumque custodiæ vnice intenti sunt, ac suo se functos officio existimât, si caueant ne tanti mali contagio in suas quoque ditiones proserpat. Interim Turcæ non solum vires recolligunt, verû etiam nostram stultitiam

acerbe rident. Illud quidem mirari sæpe soleo, quod Turcarum Princeps vicinorũ arma ita suspensa semper tenuit, vt numquam certamen cum duobus aut pluribus simul susceperit; Romanorum in eo prudentiam imitatus, quibus illud semper curæ fuit ne duplici bello cum diuersis hostibus distringerentur, sed armis contra vnũ motis, omni studio blandisque persuasionibus id efficiebant, vt alij spectatores aut socij ipsorum esse mallent. Selimus Primus qui acerrimum cum Persis bellum gessit, tanta prudentia & dexteritate vsus est, vt toto illo bello durante, Aegypti Sultanus, ceteroqui parum ei amicus, quieuerit, ac ne gladium quidem contra ipsum strinxerit. Quos patris mores imitatus Solimanus filius, dum bellum illud persequitur, neminem Christianorum Principum hostẽ vidit aut expertus est.

X. Occasio. Bella inter ipsos Christianos.

Porrò tam cruenta illa quam diuturna bella, quæ potentissimi totius Europæ Principes pertinacissime inter se gesserunt, decimam quasi fenestram siue Occasionem Turcis prolatandi imperij aperuerunt; tanto maiori cum Christianorum periculo, quanto maiori animo ac potentia dicti illi Principes praecelluerunt. Quæ vmquam inimicitiæ ferro & igne crudelius exercitæ sunt, quam nuper inter Gallos & Hispanos? Quodnam odium atrocius memora-

tur quam quo duo illi potentissimi Reges inter se exarserunt? Quæ vero sub sole gens est aut Natio, quæ ad Turcarum imperium oppugnandum, vel etiam euertẽdum, plus virium ac roboris habeat, quam duæ illæ Francorum & Hispanorum gentes? quas si quis sancto pacis vinculo colligare tum potuisset, Deum immortalem, quantum is Christianæ Reipublicę commodum, quantum vero Turcarum imperio damnum & periculum allaturus fuisset! Nam, vt ad particularia veniamus, quis vmquam Christianorum Principum ad Turcas domandos & profligandos magis aptus & ab ipsa Natura factus, vel, vt verius dicam, ab ipso Deo datus fuit, quam Carolus Quintus Imperator? in quo præter internas dotes, inuictam scilicet animi magnitudinem & singularem prudentiam, ad tantum hostem superandum, tantumque bellum conficiendum summa omnia fuerunt. Habebat enim circa se peritissimos rei militaris duces, copiasque validissimas: imperium eius sequebantur populi bellicosissimi, è quibus non veteres tantum supplere, sed nouos etiam exercitus conscribere facile erat: idemque portus possidebat ad bellum mari gerendum, quammaxime opportunos. At quotiescumque tam salutare hęreditarij hostis oppugnãdi cõsiliũ ceperat, vicinorũ

partim metupartim iniurijs coactus, in medio quasi cursu consistere fuit coactus. Eadem impedimenta filio eius Philippo 2 Hispaniarum Regi, sese obiecerunt: ita vt vere illud dicere possimus, Dei peccata nostra punientis, manum illam esse quæ immanissimorum hostium res quasi in tuto collocauit, nostras vero tam multis periculis proposuit, vt tanto citius peccatorum釣 veternũ excutiamus. Inter omnes vero Turcarum Principes vix quisquam fuit in quærendis Occasionibus sagacior, in arripiendis ijsdẽ magis impiger quam Amurathes Primus, qui (vti supra diximus) Constantinopolitano Imperatori suppetias misit, atque ipse etiam Hellespontũ traiecit, & duobus illis è regione sibi oppositis castellis occupatis, vniuersam illam oram, vt & mare, suo imperio subiecit. Huius filius Baiasithes non minus sagax in agnoscendis, nec minus patiens in exspectandis, nec minus diligens in arripiendis quibuscumq; Occasionibus fuisse dicitur: quibus etiam non sine Christianorum damno, ad suas res quam optime vsus est.

Celeritate in Occasionibus vtendũ Sed in Occasione multum prodest celeritas: siquidem illa elapsa numquam postea aut certe raro admodum reuertitur. Quocirca non satis est, vt quis rerum opportunitates siue Occasiones agnoscat: verum etiam opus est vt ijs quis ad efficiendum id

quod

quod vult recte vtatur. Quamuis autem matura quędam celeritas omnibus in rebus laudabilis sit & vtilis; in bello tamen ea quã maxime est necessaria: siquidem vt Selimũ Primum Turcarum Principem dixisse ferunt, in bello etiam quam minima mora maxima damna adferre solet, tum potissimum quando opportunitatem illud quod prudẽter & mature deliberatum fuerat exsequendi, nobis aufert. Eo nomine Annibal celeberrimus alioquin & fortissimus imperator reprehẽditur, quod scilicet lentus esset & piger, & quod Adherbal apud Liuiũ ei obijcit, vincere sciret, victoria verò vti nesciret. Eodem vitio Magnus ille Pompeius laborauit, & pessumdatus est. Verbo dicam, Nullus motus celeritate destitutus efficax esse, aut notabilem aliquem effectum producere potest. Et violentæ quidem agitationes cũ celeritate impetum cõsummant & perficiunt; naturales vero eum acquirũt paullatim, seque in ipso confirmant. Et hac quidẽ vna ratione Turcæ ad tantam magnitudinem imperium suum peruexerunt, qđ consilio & manu promti, omnibusq; rebus necessarijs instructi, in procinctu quasi semper steterunt, neque vllam Occasionem commodè aliquid atque vtiliter gerendi, prætermiserunt.

Verum enimuero dicat aliquis, eum qui bene Occasione vti velit, multis alijs rebus

instructum esse oportere. Sic profecto res sese habet: & in primis opus est vt quis semper veluti armatus, in procinctu stet, & quę necessaria esse intelligit, ad manus habeat? Qua quidem in re Turcæ multis parasangis nostros homines antecedunt; quorum Princeps continuo tantos alit exercitus, vt ex improuiso velut imparatus opprimi nunquam possit, neq; consilij incertus reddi, si quando validus educendus sit exercitus. Quinetiam tum maxime superbit, equitum præcipue numero confisus, quorum ingentem multitudinem vel pede, quod dicitur, in terram illiso excitare potest; adeo vt dictum quis ac factum simul putet. Accedit quod tam equitatus quam peditatus Turcicus leui vtitur armatura, ac fere quocumque parum seruatis ordinibus, rapitur magis quam ducitur. Sed nihil Turcarum conatus magis accelerat ac promouet quam sobrietas & parcimonia admirabilis. Militiæ enim aqua illis potus, oryza & carnes salitæ in puluerem contusæ, cibus illis est: sic vt vnusquisque vnius mensis cibaria secum ferre possit. Quod si oryza & carnes desint, equina, vt etiã Tartari & Moscouitę, carne vescuntur. Econtra ad nostros alendos milites quot rebus opus est? quantus numerus carrorum, lixarum, colonum, omnium denique rerum non ad vsum tantũ, verumetiam luxum comparatarum? Qua qui-

Turcæ quibus nostros præcellant.

Christianorum luxus.

quidem ex re duo impedimenta existere solent. Primum quod tot tantasque res pręparando tempus inutiliter præterlabitur. Deinde quod numquam satis mature & in tempore exercitus tot impedimentis impeditus, quò debet, duci potest: vt ad Esſecciū videre fuit, vbi milites nostri magis rerum & comeatuum penuria quam hostium armis conflictati fuerunt, quorum impetum illi facile sustinuissent, si nō inedia longuidis & manus simul & animi obtorpuissent. Quod quum Turcicæ militiæ præfectus animaduertisset, sensim ac pedetentim eos carpere constituit, quoad inedia & fame confecti, signa ipsi desererent & dilaberentur; vt etiam postea euenit. Memini è viro fide digno me audijsse, Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem tum quum pro Rege bellum gereret in Belgio, nulla in re quam in comparandis comeatibus & castrensibus apparatibus plus difficultatis, laboris & molestiæ habuisse. Atqui, (vt nostros pudeat) illud dicere licet inauditū esse vt vmq̄ vllus apud Turcas ob istarū rerū penuriā dissolutus aut dissipatꝰ sit exercitꝰ.

Sed ad celeritatem, qua in exsequendo vtendum esse monui, eiusque adminicula siue instrumenta breuiter explicanda redeo. Primo quidem illud inprimis non vtile tantum sed necessarium etiam est, vt qui feliciter aliquid exsequi vult, bonam

pecu-

pecuniæ summam in promtu semper habeat: quod difficile futurum est ei qui in tempore suas cogitationes & consilia non eò conuertat: tum etiam pecuniam larga & quasi prodiga manu eroget, vt quidē Christiani facere solent. At Turcarum Princeps longe maiori vtitur parcimonia: vnde nec mirum est quod numquam tam ad sublevandas militum necessitates quam comparandos bellicos apparatus, pecunia ei deest: quæ quidem præcipuus belli neruus est, & vnicus quemcumq; conatū celeriter feliciterq́; perficiendi modus Barbarus quidem ille Princeps non minus barbara vtitur eius quod ipse impendit recuperandi ratione, imposito statim subditis nouo tributo, ad lacunas illas ærarij supplendas: quod quidē facile ipsi est. Apud nos vero nihil ęque difficile est & impeditum, quam pecuniam ad belli sumtus conficere. Plerique enim omnes Christiani Principes rem familiarē parum frugaliter administrant, adeoq; in magnis rei numariæ angustijs fere semper versantur, vt si forte pecunia opus sit, aut feno ri eam sumere, aut reditus suos oppignerare cogantur. Licet autē Christiani populi non tam turpiter auari sint vt Turcę; ægre tamen & ipsi pecuniam contribuunt, vt ad mediocrem aliquam summā colligendam, integris annis opus sit. Hinc plerumque nostri, quod in prouerbio dicitur, post festum veni-

Pecuniæ cōficiēdæ difficilis ratio.

veniunt, vbi ſcilicet iam prꝑteruolauit Occaſio, nec quidquam reliquit quam pudorem, & acerrimi doloris ex infelici euentu ſenſum. Quod ſi quando ijdem Occaſioni inſiſtant, eamque premant, fit illud tanta cum feſtinatione, & prꝑcipitantia & imprudentia omnibus in rebus, maxime vero in conquirendis apparatibus, nihil vt recte atque ex ordine & diſciplina, vt apud hoſtes noſtros, fiat.

Turcarum diſciplina militaris & obedientia.

Eſt & aliud non leue ad res magnas gerendas Turcis adiumentū, incredibilis ſcilicet præfectorū erga militię ducem, & militum erga præfectos ſiue Capitaneos obedientia, reuerentia atq; amor, quo vno freti atque incitati, maxima quæque pericula ſubeunt, atq; etiam vltro prouocant, & vincunt. Adeò illis cordi eſt præfectorum iuſſa recte exſequi. Neque vmquā apud Turcas euenit, quo apud nos nihil iam eſt vſitatius, vt ſcilicet militum ſeditione aut imperij detrectatione, conatus aliquis fuerit impeditus, aut victoriarum curſus inhibitus.

Turcarum habitus.

Aliud quoque apud Turcas reperitur, non minus conſideratione dignum, quod ſcilicet quū homines ipſi robuſto ſunt corpore, tum etiam mira celeritate præditi. Econtra noſtri exercitus vix mouere ſe audent, niſi Germanorū & Heluetiorum copijs quaſi fulciantur: quę quidem gentes ad ſubitanea & in quibus celeritate opus eſt, inuti-

inutiles fere sũt;at in acie & ſtataria pugna, inſtar ſolidi & immobilis ſunt muri. Quã autem ad res celeriter gerendas parum apti ſint Germani, res ad Budam & alibi infeliciter geſtæ ſatis docent. Equos etiam meliores noſtris Turcæ habent. Hiſpanienſes quidem leues ſunt & bene compacto corpore,ſed parum habent roboris. Germanici grandes ſunt & fortes,ſed molles, & vt plurimum duri oris, vt difficulter manu regi poſſint;ad ſuſtinendum quam faciendum impetum aptiores.Neapolitani noſtri boni quidem ſunt & generoſi, agiles etiam, ita tamen vt ad perfectam celeritatem non nihil eis deſit. Turcæ vero primum Hungaricos habent equos, ad bellum inprimis idoneos:deinde Barbaros illos, ſummæ celeritatis;nec non illos è Valachia, & Epiro, qui omnes laborum ſunt tolerantiſſimi, & facili manu reguntur.

Ex quibus concludere licet, Turcas omnia quibus ad celeriter aliquid exſequendũ opus eſt, multo præſtantiora ac melius diſpoſita,ac maiori etiam numero, quam Chriſtianos,in promtu habere,ac propterea mirum non eſſe quod celeritate & occaſionibus vſi,res magnas geſſerint, & ad tantam imperium ſuum extulerint magnitudinẽ. Etſi vero dictę celeritatis innumera paſſim extant exẽpla;duo tamen hoc loco, aut tria annotabo. Amurathes 2. bello in Caramania

nia occupatus, quum accepiſſet Ladislaum Hungariæ regē, cum quo pacē paullo ante fecerat, ingentes copias colligere, & bellum moliri; ſubito motis caſtris, & celeriter traiecto Helleſponto, ſeptimis caſtris ſiue 7. dierum ſpacio cum octoginta millib. ad Varnā peruenit. Similiter Serdar Baſſa, à Baiaſithe 2. ad diuertendos à Mediolani oppugnatione Venetos miſſus, tantis itineribus ad Taruiſium peruenit, vt pęne famam aduentus ſui anteuerterit. Tanta vero celeritate Selimus I. à Cæſarea Halepum vſq; exercitum cum machinis & omni inſtrumento, per Tauri iuga duxit, vt Sultanum nihil minus cogitantē & quiduis potius quā tale quid ſibi imaginantem oppreſſerit.

Nec vero in bellis tantum quæ terra geruntur, tantam celeritatem quantam diximus, Ottomanidæ Principes adhibent, ſed etiam in maritimis expeditionibus: in quibus quem ordinem obſeruent, breuiter indicabo. Ac primū prǫgrādes illas naues ſpernunt, vtpote quas niſi vento adiuuentur, pondus immobiles atq; inutiles reddit, vt potius ſæpe impedimento ſint quam adiumento. Biremibus ſiue Galeris vtuntur leuibus admodum: claſſem vero vniuerſam milite omniſque generis apparatu quā optime inſtrui curant. Econtra nos magnū prægrandium Nauium & Gallionum, quas vocant,

Grandes naues inutiles.

vocant, numerum, tanquam virium nostrã rum fundamentum & asylum, educere solemus: quibus præparandis, exspectandis, aut conducẽdis sæpe melior temporis pars consumitur, aut reliqua classis distrahitur. Hinc aliud existit incõmodum, illud nimirum, quod quum maximam victoriȩ spem in maioribus illis Nauibus positam habeamus, minores interim quasi animo abiecto, hosti appropinquare non audent, & nihil aliud fere quam fugam meditantur. Interim vero hostis quibus potest, insidiatur, nec ad pugnam in tam late patẽti æquore cogi potest, sed ex occasionibus tantum assilit: vt quidem Anno 1537 ad Preuessam, & Anno 1571. ad Naupactum accidit, vbi multæ sociorum naues cum magno classiariorũ numero nullam pugnæ partem capessere potuerunt, quod nescio quibus rebus impeditæ, classi se nondum coniunxissent. Anno sequenti idem fere incommodum nostros valde retardauit, & quominus quidquam à tam valida & instructissima classe effectũ sit, in caussa fuit. Similiter quũ Pontificiȩ & Venetæ triremes sese cõiunxissent, & Ioannem Austrium, qui ad Messanam in Sicilia ob rumorem de Belgicis tumultibus allatũ aliquãdiu substiterat, exspectarent, in Turcicæ classis conspectu; Ochialis qui Turcicæ classi imperabat, semel quidem prœlij copiam nostris fecit: quũ vero animaduer-
teret

teret ventum nobis secundũ esse, ac rotundarum Nauium vim ac celeritatem timeret nostros miro quodam strategemate elusit, tali nempe. Mandauerat suis vt in singulis nauibus vas aliquod puluere pyrio plenũ in promtu haberent, eiq; dato signo, ita vt nequid nocere posset, puluerem subijcerent. Nostris ergo triremibus vnà cum Nauibus bono ordine ad ipsum tendentibus, proras, ne fugæ daret significationem, aliquamdiu obuertit: vbi vero incenso puluere fumus vniuersam eius classem operuit, statim sublatis omnibus velis, Neapolim in Romania contendit. Et hac quidem ratione illud effecit, vt iã longius antequam nostri tale quid suspicarentur, progressum assequi non possent, nec ordines aut classem soluere auderẽt, quid ille moliretur, incerti. Octo diebus, post quum in eundem Ochialim rursus incidissemus, & leuia aliquot prœlia siue velitationes conseruissemus, Ochialis vbi triremes nostras Nauibus destitutas animaduertit, integram classem cõtra nos eduxit; at quam primum classem cũ eis coniunctam vidit, in portum redijt. Et tum quidem satis hoc experimento compertum fuit, prægrandes & tardigradas Naues in classe aliqua impedimento magis esse quam adiumento. Huius rei ego qui huic Expeditioni interfui, illustrissimi Ducis Mainij comes, in Commentarijs Rerum

memorabiliũ nostri temporis, Latina lingua conscriptis, prolixiorem aliquanto mẽtionem feci: ad quam Lectorem remitto.

THESAVRI POLITICI APOTELESMA XXXIV.

Quod est.

IMPERII TVRCICI *Descriptio.*

QVum in superiori tractatu Turcarũ eorumque progressus crebra sit facta mentio; operæ precium nobis visum est, Compensam Turcici Imperij Descriptionem, omniumque Imperatorum Catalogũ hic subiungere.

Turcæ qui & vnde.

Turcarum meminit Pomponius Mela libro primo, vbi ait: *Fecundos pabulo iuxta Mæotim, at aliâ steriles nudosq; campos tenent Budini. Geloni vrbem ligneam habitant. Iuxta Thyrsagetæ Turcæq; vastas syluas occupant, aluntúq; venando.* Eosdem agnoscit Plinius *lib. VI. cap. VII.* Neque est dubium quin ab his nominis & gentis originem traxerint illi qui longe lateq; hodie imperitant, ignauia nostra

noſtrâ magni. Horum Imperatorũ à Tartaris originem trahunt, vt & vniuerſa gens; cui ſe Chriſtiani apoſtatæ adiunxerũt. Sunt autem plerique facie lata, membris compactis, corpore quadrato, comam radunt, barbam, myſtacem præſertim, alunt. Ingenio ſunt tardo, ſtupido, ignauo: ex quo facilè intelligi poteſt, natos, illos eſſe ad ſeruitia, ſed nunc præter naturam, vi iuſtitiæ locum occupante, imperare. In ſuos igitur obſequioſi, in exteros ſuperbe imperioſi ſunt, iactabundi, arrogantes, faſtuoſi. Religionis locum apud eos obtinet ſuperſtitio. Hæc à Mahumete, conficta eſt circa annum DCXXIII imperante Heraclio. Ferunt Mahumetem iſtum fuiſſe natione Cyrenaicum, patre mago, matre Iſmaelitide, ingenio ſubdolo, & ad quiduis audendum apto, corpore immani, aſpectu truci, voce terribili. Hic heri ſui viduam, Iſraelitici generis, quinquagenariam, quòd eſſet locupletiſſima, vxorem duxit: cuius opibus inſtructus, multo magis à ſe inſtitutum ſemel inſaniæ genus aduerſus Veteris & Noui Teſtamenti doctrinam vrſit. Acceſſit ad huius dementiam Sergij flagitioſiſſimi Monachi perfidia, qui ob hæreſin Neſtorianam Conſtantinopoli eiectus, in Arabiam tunc têporis profugerat. Huius inſtinctu ex Iudaico fermento & maſſa Neſtoriana hęreſin formauit nouã, quam de paxillo ſuſpenſam,

Turcarum ſuperſtitio.

protinus Arabes & vicini omnes admirari, suscipere, venerari cœperunt. Epilepsiæ morbo ex intempestiuis comessationibus contracto, vsus est ad fingendos arcanos cũ Gabriele Archangelo sermones & congressus. Columbam adsuefecerat, vt ex aure ipsius peteret pabulum, quod veterator callide eo loco abdere consueuerat. Hanc ille dicebat esse ipsissimum Spiritum sanctum. Volumen nouæ suæ legis condidit, Alcoranum. Quumq; iam appetendi regni opportunum tempus videretur, columbæ scedam alligat in qua scriptum: *Quisquis tauro iugum imposuerit, rex esto.* Subornatur taurus, cuius inter cornua Alcoranus defigitur. hic cum multorum terrore subitò erumpens, ad Mahumetem (ita enim adsuefactus fuerat) adcurrit. Is pro concione legem veluti cœlo demissam recipit. Sergius aperta columbæ scedula, verba legit, adfert iugum; quo imposito, confestim Mahumetes Rex, Sergius Propheta denunciantur. In lege omnia absurda & ridicula, de creatione Mundi, de eius fine, de Paradiso, inferno, cœlo, terra, creatione hominis, deq; Mahumetis itinere in Paradisum. Vnum tamen Deum agnoscit, Christum etiam pro magno Propheta coli præcipit, vt & Mosen, & se. Annum non ex Solis, sed ex Lunæ cursu æstimari vult. Hisce omnibus & infinitis alijs à se institutis, Arabiaq; vniuersa sub-

Mahumetis astus.

Religio qualis.

acta,

acta, post multa bella tandem veneno à domesticis extinctus est, quum ageret annum XL. Sepulcrum eius in Mecha Persidis summo cultu & veneratione Turcæ & Mahumetani omnes prosequuntur. Vartomannus tamen tradit, monumentum eius esse in Arabiæ Petreæ vrbe quam vocant Medinam, atq; ibi loci à Saracenis solere frequẽtibus peregrinationibus visitari. Narrat idem, quum esset Medinæ, Ducem quendam quaterna millia saraphorum (numi genus est) obtulisse Mystagogo, vt ostenderet cadauer Nabi, quod Arabibus Prophetam significat. ibi Mystagogum: Tunc hisce luminibus quibus tot scelera perpetrasti, audebis eum conspicari, cuius intuitu Deus maximus cœlum & terram creauit? Tum Ducem: Agnosco vera esse quæ dicis: sed hoc vnum liceat mihi impetrare, vt videam Nabi; quo viso, libenter mihi oculos in gratiam eius statim effodiam. Hęc eo hic commemoranda duxi, vt nos quibus à Christo lux adfulsit, beatitudinem nostrã ex illorum imperitia miseriaque æstimemus, gloriantes in sola eius cruce. Multa interim ab eis præclare dicuntur, quale illud est quod Panormi in Sicilia supra portam quandam positum Arabicis litteris exstat: *Non est Deus alius præter vnum Deum: Non est alius potens præter eundem Deum: neq; est alius Victor præter eundem quem colimus Deum.* Sed pro-

Mira Mahumetis veneratio.

profectò ignorãtia est & blasphemia, quicquid extra Christum de DEO scitur, aut dicitur etiam speciosissime. Neque enim fieri potest, vt qui Filium ignorat, norit Patrem. Ex hoc igitur Architecto noui dogmatis orta est fœda Turcarum superstitio. Hi se non Turcas, sed *Musulmanos* dici volunt. hoc enim sonat, *Rectè credentes.* Monachorum Ordines, habent quatuor: *Torlacorum, Deruisiorum, Calendorum, & Hugiemalonum.* Christianos Iudęis multo præferunt: cum illis cœnare aut negociari non detrectant, quin etiam eorum coniugia non refugiunt; hos vero omnium mortalium flagitiosissimos vilissimosque iudicant. Vxores habere quot libet, licet. Aleam fugiunt, alueo delectantur. In eleemosynis profusi sunt, quibus non suos solum, sed etiam Christianos iuuant; aues etiam à se emtas interdum dimittunt, sanctitati tale opus adscribentes. Vestes omnibus oblongæ. Sidari alba caput tegunt; qui autem ex stirpe Mahumetis sunt, viridi. Honoris caussa caput non aperiunt, sed inclinato corpore reuerentiam exhibent. Pars læua omnibus honestior, forte quia liberam sibi cupiũt dextram. Tergum obuertere inhonestum credunt: itaque post salutationem retrocedentes, frontem semper aduersam habent illi quẽ salutarant. Ter edunt quotidie, cernui, cruribus decussatim compositis. cibus ipsis

Turcæ Monachi.

Habitus & mores.

ory-

oryza, pisces, carnes, pręter porcinam Vinū non bibunt, nam id lege vetitum: sed eius loco aquam, cui mel, saccharum aut iulebū admistum est. Opij frequens apud eos vsus. Domus priuatæ angustæ: neque enim curant quomodo habitent. maxima illis cura exstruendi spaciosas Meschitas siue templa, & Carbasara siue xenodochia: adhæc balnea, aquæductus, pontes, vias, aliaque publici operis. Vrbes muro clausas perraras habent. Summa ipsis imperij vis in subditorū impotentia est. Itaque mœnia vrbium à se captarum statim deijciūt, tamquam infaustum & infelix sidus, omnia depopulantes. Hinc prouerbium ortum est: *Quà Ottomannicus aliquis transiuit, ibi neq; folia neq; gramen prouenire.* Debellatæ prouinciæ, rectorem dant, qui nobiles, præsertim eos qui Principali stirpe orti sunt, ad vnum omnes occidit, familiasq; opulentiores aliò transfert. Neminem tamen cogunt ad obiurandum religionem. Arma victis adimunt. Ipsi militaris disciplinæ amantissimi, obsequiosi, laboris, æstus, frigoris tolerantes, pauco cibo eoq; vili contenti, in itineribus cōficiendis omnia silentio peragunt. Arma habēt, lanceam, arcum, securim, acinacem, clauā ferream, gladios quos vocant *Scimilare*, sclopeta, aliaq; omnia quę Christianis in vsu sunt, nisi quod equites cataphracti apud ipsos rari. *Arma.*

Primus Turcarum Imperator Ottomannus.

Primus illorum Imperator Ottomanus fuit, Tartarus natione, miles magni Cham, homo audax, corporis viribus præ cęteris eximius. Hic prætextu iniuriarum quarũdam secedens à Tartaris, cœpit in Cappadocia montes atque aditus insidere. Habebat initio apud se equites XL. Accessere tum prędę spe, tum scelerum suorum conscientia permoti alij multi, quorum opera quod ante clam instituerat, palam adgredi cępit, occupauitq; *Cappadociam*, *Põtum*, *Bithyniam*, *Pamphiliam*, *& Ciliciam*, regiones opulentissimas. Hæc gesta sunt circa Annum Domini nostri MCCC. Imperauit auté Osmanes siue Ottomannus Primus annos XXVIII.

Orchanes.

Successit ei Orchanes, qui patrium Imperium ijsdem artibus, sed maiore opum vi & diuitiarum copia seruauit auxitq;, vsus inprimis opportunitate Christianorum, animis inter se dissidentium. quo factum est, vt *Mysiam*, *Lycaoniam*, *Phrygiam*, *Cariam* domuerit, Niceam obsederit ceperitque, & regnum ad Hellespontum vsq; protulerit. Contendebant eo tempore inter se Palæologi Constantinopolitani cum Cantacuzeno. Ratus autem Orchanes quod res erat, fore vt si huic faueret, in Europam accerseretur traiecit, & viam posteris strauit Europam diuexandi. Sub finem vitæ infeliciter cum Tartaris decertans, occubuit, postquã regnasset annos vnum & XXX.

Sequutus hunc est filius MVRAT, siue Amurathes, magnus simulandi & dissimulandi artifex, robore animi, laborum tolerantia, disciplina rei militaris maiorum suorũ par? Hic contentiones illas, de quibus modo dictum est, inter Græcos dissimulando fouit: quibus bello fessis exhaustisque vsus Genuensium nauibus conductitijs (specta hominum perfidiam & auaritiam) ex Asia in Thraciam, superato Hellesponto traiecit. Anno MCCCLXIII. Callipolin in Chersoneso sitam occupauit, quam magna statim pars Thraciæ sequuta est. Postea deuicit Mysiam, Bessas, Triballos. Denique quũ expugnata Adrianopoli, Seruiæ Bulgariæque inhiaret, à Lazaro Seruiæ Despota victus occisusque est, anno imperij XXXI. Liberas reliquit Solimannum & Bajazetum. Amurathes secundus.

BAIAZETVS, qui alijs Pesaites, fratre interemto, rerum potitus, Thraciam omnẽ subiugare sibi instituit. Vir erat ingenio acri & maximarum rerum cupido: in rebus capessendis audax, in administrandis solers, in laboribus perferẽdis indefessus, in Occasionibus prospiciendis acutus & sagax, in exsequendis constans. Igitur Tracia omni superata, animum ad Constantinopolim adiecerat: sed primum Thessaliã, Macedoniam, Phocidem, Atticam, occupare visum est. Mysios quoq; (qui hodie Seruij) Illyricos (qui hodie Bosnenses) & Triballorum Baizetus primus.

(qui Bulgari dicuntur) partem reliquam, Principe Bulgariæ interfecto, subegit Iamque Constantinopoleos suburbia spoliarat, vrbemque ipsam totos annos octo obsederat; quum Hungarorum Gallorumq;, quos Imperator eo nomine in Italiam profectus, accersiuerat, aduētantium copias reformidans, relicta obsidione ad Nicopolim ijs occurrit. Congressus, victor euasit, cæsis captisque magna ex parte Gallorū ducibus. Occubuit eo prœlio Ioannes Burgundiæ Dux; euasit Sigismundus Hungariæ & Bohemię rex. Elatus rerū successu Baiazetus, rursus Constantinopolim contendit, eamque longa triennij obsidione fatigauit: iamque actum erat de obsessis, quum *Timurcultu*, quem hodie Tamerlanem vocant, magnus Tartarorum Cham, igni & ferro Asiam totam depopulari, vrbes vastare prædas agere instituit, cuius ille subito terrore euocatus in Galatiæ & Bithyniæ finibus aciem instruxit. Pugnatū est aduersis signis multā in noctem. Baiazetus superatus, captus, aureisque compedibus vinctus, in cauea per Asiam à Tamerlane traductus fuit. Periêre Turcarum ducenta millia. Incidit hæc clades in annū Christi MCCCXCVII. Baiazetus haud multo post dimissus, in Asia mortuus est, postquā regnasset annos XIII. menses VI. Filios reliquit Calapinum, Moysen, Mahumetem, & Mustapham.

CALAPINVS, qui & Alpin, subito extinctus est; filius eius Orchanes à Moyse patruo occisus: ipse etiam Moyses à fratre. *Calapinus.*

MAHVMETE. Hic *Valachiam Macedoniamq;* omnem deuicit, signaque Turcica ad Ionium vsque pelagus protulit. Regiam constituit Adrianopoli, & postquam imperasset annos XVII. vita functus est anno Domini MCCCCXXII. *Mahumete.*

Ei successit Amurathes Secundus, qui Moralbeg suis. Hic Genuensium opera in Thraciam delatus, patruum suum Mustaphum, cui Græci addictiores erant, bello vicit. *Thessalonicam* vrbem antiquam, & tam temporis amplitudine, amœnitate, opibus situque illustrem, quam tunc Veneti tenebant, euertit. *Cyprum, Epirum, Aetoliam* subegit. Quumque intelligeret rebus suis stabiliendis, Christianorum vero debilitãdis, magnopere sibi Georgij Despotæ Seruiæ domini, amicitiam prodesse posse, eam omnibus modis ambijt, ducta insuper eius filia in vxorem. Fretus itaque tum suis viribus, tum perfidi Despotę fide, Belgradum ad Saui & Danubij confluentem sitam vrbem, quam paullo ante Despota Sigismundo Imperatori dono dederat, oppugnare aggreditur. Periére in ea obsidione septem Turcarum millia. *Amurathes secundus.*

Hac

Hac victoria confirmati Christianorum animi maiora sperare incipiunt. Vladislaus Poloniæ & Hūgariæ rex Ioannem Hunniadē, ob res bene gestas Vaiuodam siue Ducem Transyluaniæ fecerat. Hic Seruiā ingressus, Turcas expulit, eos, denique postea Transyluaniæ fines ingressus, longe lateq; strauit. posthæc in Bulgaria sexies vno die cum Turcis iusto prœlio decertans, semper victor euasit. Capta ibi hostium millia quatuor, signa nouem, duces tredecim. Ad extremum Amurates tot malis amens, indignansque induciarum federa sancte concepta, Eugenij Pontificis suasu ab Vladislao temere rapta esse, copijs suis omnibus collectis, extrema experiri statuit. Erant tunc forte castra Christianorum ad lacum Varnensem. Turca corruptis speculatoribus, infra Callipolim ex Asia in Europam repēte transmisit exercitum, soluitque Genuensibus, penes quos faucium illarum potestas erat, centum millia aureorum. Pugnatum est vtrimque magnis animis tres dies perpetuos. Tandem victoria penes Amuratem fuit, merito Christianos fractæ fidei incusantem. Rex Vladislaus eo prœlio cōfectus interijt. Hunniades ægre saluus euasit. Iulianus Cardinalis, auctor, vt quidam volunt, rupti federis, equo delapsus, misere animam in deuio saltu exhalauit. Quibus rebus elatus Amurates, murum hexamilum

Clades Varnensis.

in

in Isthmo Corinthiaco exstructum diruit, ac tandem in Prusia Bithyniæ vrbe, in qua sedes tunc erat Imperatorum, vitam finijt, anno imperij sui xxx.

Suffectus ei fuit in Imperio MAHVMETES secundus. Hic fratris nece quum tyrannidem suam stabiliuisset, *Constantinopolim* expugnauit Anno MCCCCLIII. penultima die mensis Maij. Post triennium Belgradum se contulit; sed multis ibi suorũ interemtis, ipse saucius discedere coactus fuit. Postea *Bulgariam* occupauit, & arcem Rasciæ ad Danubij ripam, quam vocant *Smideron*: tam *Dalmatiam* & *Croatiam* cum *Rascia* omni. *Trapezuntem* etiam expugnauit, & *Mitylenem*, cum alijs quibusdã Aegæi maris insulis. Venetos qui Hexamilum restituere aggressi fuerãt, disturbauit. *Eubœã* cepit, & *Theodosiam*, quę nunc Caffa dicitur, Genuensium vrbem, in Taurica Chersoneso. Tandem frustra oppugnata Rhodo, obijt Cal. Maij Anno MCCCCLXXXI. Regnauit annos XXXI. vixit annos LVIII. Filios reliquit Baiazetum & Zyzymum, qui alijs Zeliabus dicitur. *Mahumetes Secundus.*

BAIAZETVS rerum potitus fratrẽ frustra Sultani Aegyptij auxilijs adiutum, Prusia Asiaque omni expellit: qui quum ad Christianos defecisset, & Rhodũ venisset, inde missus est in Galliam: postea Anno MDLXXXVIII. Romam ad Innocen- *Baiazetus, secundus.*

tium

tium VIII. neque multo post ab Alexandro Papa veneno porrecto extinctus est. Baiazetus interea *Ciliam* & *Album castrum* in Moldauia expugnauit: *Modon* insulam & vrbem Venetis eripuit, cum Sophi rege Persarum diu infeliciter bellum gessit. Imperauit annos XXXII.

Zelymus Primus. ZELYMVS filius, vitæ patris pertæsus, eum veneno interfecit. idem fratres nepotesque strangulari iussit. His actibus acquisitum imperium per tyrannidem rexit & conseruauit. Primus iste in Africam traiecit, & eiecto Sultano magnam Aegypti partem occupauit. Sultanus erat Campho, homo obesus senioq; confectus, annorum scilicet LXXVI. quo interfecto, Mamaluchi Sultanum fecerunt Tomumberium. Sed & hunc prœlio victum in fugam Zelymus coegit, & Alcairum Anno MDXVII. cepit. Sultanum inter paludes latitantem extraxit, & post varios cruciatus suspendi iussit. Rebus ita confectis quum Constantinopolim rediisset victor, cancro renes depascēte exstinctus est, Anno MDXX postquam regnasset annos VIII. vixissetque XLVI.

Solimanus. Successit ei SOLIMANVS. Hic *Belgradum* cepit propugnaculum non Hungariç solum, sed totius etiam orbis Christiani. idem *Rhodum* deuicit, *Strigonium* & *Budam* aliasque Hungariç vrbes expugnauit. Vien-

nam

nam Austriæ obsedit, tandemque ad Sigethum perijt, anno Imperij sui XLVII.

Sequutus est Zelymus secundus, qui inducias cum Maximiliano fecit annorum VIII. *Cyprum* Venetis ademit, *Tunetum & Gorlettam* occupauit obijtque anno MD. LXXV. Hac imperátes, classis Turcica ad Naupactum memorabili victoriâ à Christianis profligata est. *Zelymus secundus.*

Eum AMVRATHES excepit; & hunc *Amurates. 2.*

MAHVMETES Tertius, qui parricidio interemtis fratribus duodeviginti, imperium auspicatus est, & ante biennium fere è vita & ipse abijt. *Hac de serie & Catalogo, & præcipuis reb⁹ gestis Turcicorū Imperatorū.* *Mahumetes tertius.*

Habet igitur, vt ex dictis iá constat, Turcarum Imperator latas amplasque admodū regiones. In EVROPA *Hungariæ* magnā partem, & *Thraciam*, cum *Græcia vniuersa*, hoc est *Macedonia, Epiro, Achaia Peloponeso, & cum insulis maris Ægæi.* Præterea *Illyridis* siue *Sclauoniæ* partem, tam *Bosnam, Seruiam, Rasciam & Bulgariam*. In AFRICA habet *Algeriū Tunetū, Tripolim, totam Ægyptum ab Alexandria vsq; ad Asuam vrbē, quē Syene est.* In ASIA vero habet *Natoliam* quæ est *Asia minor, Cyprū, Palestinam, Calosyriā, Babyloniam, Arabiam* omnem cum *Armenia*. Sed de his & priori Tomo aliquid dictum est, & in sequentibus quoque Tractatibus dicetur.

THE-

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XXXIV.

Quod est

ILLVSTRIS D. HORATI. MAlaguci, Patricij Regiensis, Discursus siue Dissertatio, in qua status & magnitudo quinque totius Orbis potentissimorum regnorum; Regis scilicet Hispaniarum Catholici, Regis Abyssinorum, siue Presbyteri Ioannis (vt vulgo vocant) magni Tartariæ Chami; Regis Persarum; & denique Imperatoris Turcici, rationibus è Geographia & Arithmetica petitis, inter se comparantur.

Terræ partes.

TERRAM vniuersam recentiores Geographi plerique in quatuor partes diuidunt, Europam scilicet, Africam, Asiam, & Americam siue Nouum Orbem. Et in tribus quidem tantum prioribus Turcarum Imperator multas ac latas regiones possidet; at Rex Catholicus non solum in illis quoq; longe lateque dominatur, sed Nouum etiam Orbem solus sub imperio habet.

Verum

Verum vt ad particularia veniamus; in Europa quidem Turca bonam partem earum regionum possidet quas Ptolomæus nona sua Tabula complexus est, magnam nempe Iazygarum Metanastarum partem, qui hodie Valachia comprehendũtur; partem Daciæ quæ hodie Transyluaniæ accẽsetur; Mysiam superiorem, quæ Bosnam, Rasciam & Seruiam complectitur; Mysiam inferiorem, cuius partem, vt & Thraciæ, Bulgariæ regnum continet; reliqua vero pars Thraciæ hodie Romania dicitur. Idẽ præterea sub imperio habet omnes eas regiones quas Ptolomæus in Decima Tabula collocat, Macedoniam nempe, quæ hodie Albania est; Epirum, Butrintum hodie; Achaiam, nunc Græciam vulgo; Peloponnesum, hodie Moream. Idem dominatur omnibus insulis in Archipelago, magno numero sparsis, quas Cyclades antiqui nominarũt: quãuis earum paucæ sub Venetorũ manserint imperio. Includitur itaque Turcarum Imperium versus Orientem, Propontide (quod hodie *Mare di Marmora* vocant) Ponto Euxino qui hodie *Mare Maius*; & Mari AEgæo, quod Archipelagus aliàs appellatur: à Meridie mari Cretico, itemque Mediterraneo: ab Occasu mari Adriatico; à Septemtrionibus vero Hungariæ, Moldauiæ & Transyluaniæ finibus. Et circuitus quidem vniuersi Imperij quod in Eu-

Turcarum in Europa imperium.

in Europa Turcæ possident, secundu[m] prædicta litora complectitur Italicoru[m] milliarium circiter decem millia, & quin-genta. Quam superficiem vniuersam, si re-dactis in quadrum milliaribus, mensu-ra complecti velimus, reperiemus millia-ria Italica circiter trecenta duodecim mil-lia, & vndesexaginta.

In Africa.

In *Africa* Turca oram litoralem à Fira-mida tamquam termino Orientalissimo ad Gerbin vsque possidet: quo quidem tractu vniuersa Aegyptus & omne id quod Ptolomæus in Secunda & Tertia tabula Africæ ponit, continetur, vt & Lybia Marmarica, quæ recentioribus Borea di-citur. Tractus hic omnis milliaria circiter mille & quadringenta cõplectitur. Quod ad interiora Africæ, nihil ibi Turcæ pos-sident præter Aegyptum, quam olim Sul-tani Alcairi sub imperio habuerunt. Re-liqua tenent Arabes, gens vaga, nulli cer-to domino vel Regi obtemperans. Possi-dent tamen ijdem Turcæ Maris Rubri ali-quam partem Occasum versus, à Sues vs-que ad Zibit: quod quidem spacium mil-liarium est circiter trecentorum & quin-quaginta. Vlteriora vero Rex Aethiopiæ siue Abyssinorum (*Presbyter Ioannes* vulgo) sub dominio habet. Sic igitur Tur-carum in Africa Imperium ab Ortu qui-dem partim Mari Rubro, quod antiquis

etiam

etiam Sinus Arabicus, partim eo intersti-
tio quod est à Sues Firamidam vsque, in-
cluditur: ab Occasu regno Tunetano; à
Septemtrionibus, mari Mediterraneo &
Sinu Aegyptiaco: à Meridie verò deser-
tis Lybiæ, & parte aliqua Aethiopici reg-
ni disterminatur. Vniuersa autem ora
maritima quę Turcarum in Africa subest
imperio, continet milliaria circiter 1750.
Aegypti quidem superficies milliarium
est circiter 356160. sed quum multa sint
cultoribus vacua, nonnulli etiam populi
Turcarum imperium non agnoscant; non
errabit qui semissem à suprapositio nume-
ro demserit: atque ita restabunt 178080.
milliaria quadrata. Certum vero est no-
bilissimas tam Africę quam Europæ re-
giones Turcarum subesse imperio. Hodie
quidem præstantissima totius Europæ re-
gio Italia habetur; at olim antequam Ro-
mani florere cœpissent, nihil nobilius aut
celebratius fuit Græcia, quam vniuersam
hodie Turcę tenent: Inter Africæ vero
regiones quantum ad omnia quibus regio
aliqua nobilitari & commendari potest,
Ægypto semper ab omnibus palma fuit
tributa, & etiamnum tribuitur.

Ad *Asiam* quod attinet, Turcas qui- *In Asia.*
dem eam pæne omnem suo complexos
esse imperio, inprimis vero eas regiones
quæ olim armis & litteris præ ceteris

floruerunt, extra controuersiam est. A primum Turcarum imperio subest omn illud quodà Ptolomæo in prima Asiæ ta bula collocatur, Pontus scilicet & Bithy nia, quam Turciam dicunt; nec non Asi propriè dicta, quæ Turcis hodie Natoli item Phrygia, quæ Paria hodie & Bebry cia; tum Lycia, vulgo Briquia; prætere Galatia, Paphlagonia, Pamphylia, Cappa docia (quę nũc Amasia) Armenia minor, & Cilicia quæ hodie Caramania: quæ regio nes omnes hodie sub Natolię nomine com prehenduntur, olim vero Asia proprie di cta fuerunt. Huius vero Peninsulæ (quæ o lim Asia minor, hodie Natolia) ab Alex andria Trapezuntem vsque circuitus con tinet milliaria circiter bis mille, & qua dringenta. Possident insuper Turcæ mag nam partem earum regionum quę à Ptolo mæo in Tertia Asiæ Tabula sub Armeniæ maioris nomine ponũtur, quæ hodie Tur comania vocatur. Reliqua Tartari habent. Tenent ijdem omne id quod quartæ Asiæ Tabula apud Ptolomæum continetur, Cy prum scilicet insulam, Syriam, Palæsti nam siue Iudæam, oram Syriæ maritimam à Foramida Alexandriam vsque, quæ est milliarium fere quadringentorum & tri ginta; Arabiam Petræam, hodie Baraab dictam; Mesopotamiam, Diabeth hodie; Arabiam desertam; & Babyloniam, siue

Chal-

Chaldæam. Eorundem imperium agnoſcunt pleræque omnes regiones quæ Quintæ Aſiæ Tabulæ apud Ptolomæum inſertæ ſunt, Aſſyria nempe, ad Arabiam vſque Felicem. A Trapezunte dein Septemtriones verſus idem imperium ad Cimmerium vſque Boſphorum porrigitur, qui Cherſoneſo, hodie Gazariæ dictæ, confinis eſt, quo quidem tractu ſeptemtrionali, Caitachi dicto, Matrigam vſque (quæ fortaſſis Ptolomæi Hermanaſſa eſt) ſecundum litus numerantur milliaria 450. A Sues deinde (quod fortaſſe Ptolomæo Cliſma præſidium nuncupatur) circumeundo Arabiam Felicem, vſque ad oſtium Tigris fluuij (qui hodie Tigil) milliaria circiter ſunt ter mille, ſeptingenta & quinquaginta. Sic ergo in vnam ſummam computatis quæ Turcæ in Aſia ſecundum litus ambulando poſſident, efficientur milliaria circiter 7030. Superficies vero omnium regionum quas illi ſub imperio in Aſia habent, complectitur milliaria 710640. quadrata. Quia vero earum pars aut deſerta iacet, aut alijs regulis & dominis ſubeſt, nos eiam poſita ſumma quartam partem detrahemus, quæ eſt milliarium 177660. ſicque reliqua fient 532980. milliaria.

Porro Turcarum in Aſia imperium ab Ortu quidem ſinu Perſico (qui hodie Elcalif) Tigri flumine, & litore Maris Caſpij (quod *nes Turcarũ imperij in Aſia.*

(quod nunc Mare de Baccu) ab vna parte terminatur: Ab Occasu fines habet Sinum Arabicũ, seu Mare Rubrũ, Mare Ægęum siue Archipelagus, Propontidem siue Fretum Constantinopolitanum, & Pontum Euxinum, qui hodie Marę Maius. A Septemtrionibus itidem Ponti Euxini aliqua parte, & palude Mæotide, quę Mare Zabuch hodie, ac tandẽ parte aliqua Sarmatię Asiaticæ siue Tartariæ includitur: ad meridiẽ vero Oceanum Australẽ siue Indicum, Mare Mediterraneũ, & Mare Mai⁹ attingit.

Iam vnam in summam computatis omnibus quæ in tribus hisce Terræ partibus Turcę secundum oras maritimas sub imperio habent, inueniemus milliaria vndecies mille, ducenta & octuaginta: superficies vero vniuersi huius imperij milliaria complectitur decies centena & viginti tria millia, ducenta & vndeviginti.

Hispaniarum Regis imperium in Europa & primum in Hispania.

Hactenus Turcarum in Europa, Africa & Asia imperium descripsimus: nunc quæ Catholici siue Hispaniarum Regis in ijsdem Terræ partibus subsunt imperio regiones indicabimus, Ac primum imperat is in Europa Hispaniæ vniuersæ, Iberiæ Gręcis à flumine eius nominis olim dictæ: quæ quidem regio omnis non minus populosa est quam ampla. Strabo corio bouis extenso eam similem facit: Ptolomæus vero secunda Europę Tabula

eam

eam comprehendit. Vniuerſa Mari vndique clauditur (niſi qua Franciam reſpicit, à qua Pyrenæis montibus dirimitur) ab Aquilone ſcilicet Oceano Cantabrico, ab Occaſu Heſperico ſiue Atlantico, ab Auſtro vero mari Iberico ſiue Balearico, & freto Herculeo, vbi olim Herculis columnæ, in Hiſpania ad Calpen vna, altera vero in Africa ad Abilam memorantur. Prouincias Hiſpaniæ refert Ptolomæus tres, Bæticam, Luſitaniam, & Tarraconẽſem. Alij memorant ſex, Tarraçonenſem, Carthaginienſem, Luſitaniam, Galiciam, Bæticam, & trans fretum in regione Africæ Tingitanam. Maurorum tempore regna fuerunt in Hiſpania plurima, quæ poſteriores in quinque diuiſerunt, Caſtella, Aragonia, Portugallia, Granata & Nauarra. Partiuntur tamen quidam noua diſtributione totum imperium in tria regna, Aragoniæ nempe, Caſtiliæ & Portugalliæ. Sub regno Caſtiliæ comprehenduntur Biſçaia, Legion ſiue Leon, Aſturia, Galæcia, Eſtremadura, Andaluſia, Granata, Murcia, vtraque Caſtilia cum acceſſione Canariarum inſularum. Sub Aragonenſi regno comprehenditur præter Aragoniam, Catalaunia, Valentia, Maiorica, Minorica. Sub regno Portugalliæ comprehenditur præter Portugaliam, Algarbia. Bætica à Luſitania flumine Guadiana,

qui hodie Ana, dicitur, & Estremaduram preterlabitur: ab Aragonia vero Capite di Gata, quod veteribus Charidemum dictũ fuit promontorium, disterminatur, ita vt Bætica vniuersa intra Durim fluuium & iam dictum promontorium includatur, tria continens regna, Granatense scilicet, Andalusiam & Estremaduram: quorum metropoles & regiæ sunt Granata, Hispalis & Merida.

Lusitania. Lusitania ab Aragonia eodem flumine Duri separatur, & à Cale, vel vt alij volunt, Gallorum portu, hodie Portugalliæ nomine notior est, quo quidem comprehenditur omne id terrarum spacium quod inter Ieppen vrbem, Andalusiam & Baionam continetur. In hoc terrarum tractu situm est iam dictum Portugalliæ regnum, cuius metropolis est Olisippo, Lisbona vulgo: item Galæciæ regnum, cuius metropolis est Compostella: reliqua Aragoniæ adscribuntur, in qua nouem (vt alias quoque diuisiones non prætereamus) regna recensentur, Legionense siue *Leon* (alias *Vetus Castilia*) cuius regia est ciuitas Legionensis, *Leon* vulgo: secundum Toletanum (aliàs *Castilia Noua*) cum eiusdem nominis metropoli: tertium Aragoniæ, cuius præcipua vrbs Saragossa hodie dicitur; quartum Valentianum, cum eiusdem nominis vrbe regia; quintum Catalauniæ, cuius præcipua ciuitas

ciuitas Barcino eſt, Barcelona vulgo: ſextum regnum Murciæ, cuius metropolis Murcia: ſeptimum regnum Nauarræ, cuius metropolis Pampelona: octauum, regnum Biſcaiæ, cuius præcipua vrbs Bilbao dicitur: nonum vero regnum Lipurquæ, cuius metropolis Fanum ſiue portus S. Sebaſtiani cenſetur.

Hiſpaniarum magnitudo.

Porro Hiſpania, initium à Conimbrica ſumendo (*Colibre* vulgo) per montes Pyrenæos ad Fonterabiam, & inde ad promontorium quod Caput Finis terræ vocatur, hincque ad promontorium S. Vincentij, inde ad Gribalterram, ac hinc denique rurſus ad Conimbricam redeundo, ambitu ſuo complectitur milliaria 1896. Hiſpanica, quæ Italica efficiunt bis mille centum & nonaginta fere. Ex qua ſumma ſi planæ huius ſuperficiei magnitudinem indagare velimus, reperiemus milliaria centies & octies mille, octingenta & quadraginta circiter.

Belgium.

Idem Rex Catholicus inferiorem etiam Germaniam quæ Belgium olim dicta fuit, & a Ptolomæo partim Gallia Belgica partim ſub Germania comprehenditur, ſub imperio habet: in quo ſeptemdecim Prouinciæ numerantur, Ducatus ſcilicet quatuor, Brabantia, Limburgum, Luxemburgum, & Geldria: Comitatus ſeptem, Flandria, Arteſia, Hannonia, Hollandia, Se-

landia, Namurcum, & Sutphania; Marchionatus S. imperij: Dominia quinque, Frisia, Machlinia, Vltraiectum, Transisalana, & Groninga.

Prouinciæ hæ vniuersæ ambitu suo secundum maris litus, comprehendunt sexcenta circiter milliaria Italica, facto initio ab Ostio Amasis fluuij, tamquam orientalissimo limite, Greuelingam vsque ad ostium A fluuij, tamquam finis earum regionum ad occidentem extremi.

Tractus hic à septemtrionibus Oceano Germanico & Gallico clauditur, ab alijs vero partibus diuersas regiones attingit, vt Comitatum Frisiæ Orientalis, Episcopatum Monasteriensem, Ducatum Cliuiæ, Archiepiscopatus Coloniensem & Treuirensem, Ducatum Iuliacensem, & Franciæ regnum. Plana eius superficies continet circiter quadragies septies mille & sexcenta milliaria.

Burgundia. Habet idem Rex sub se Burgundiæ Ducatum, Franciæ regno vulgo annumerari solitum: cuius populi siue incolæ præcipui à Cæsare & Ptolomeo Sequani dicuntur. Sed ne in eius descriptione longius immorer, planam eius tantum ponam superficiem, quæ continet nouem millia & octingenta milliaria Italica. Præcipua totius regionis ciuitas & caput est Vesontio, hodie *Besarzon*.

Porrò

Porrò semissem fere totius Italiæ idem Rex possidet, vtpote in cuius ditione sunt Regna Neapoleos & Siciliæ, Sardinia, & Ducatus Mediolanensis: præter arces quasdam & territoria, quæ in Hetruria idem habet. Vt iam de Genuensium Republica nihil dicam, qui ab imperio Catholici Regis fere vnice iam dependent, vt non immerito Liguriæ, vt & Corsicæ insulæ, quam Genuenses tenent, dominus dici & credi possit. *In Italia.*

Regnum Neapolitanum à mari Adriatico siue supero initium sumit, ad fluuium Truentum, & Fundos vsque porrigitur. Vt vero vniuersum eius ambitum rectius intelligas, ducito lineam transuersam per mediam Italiam ad mare Tyrrhenum siue Inferius, Fundos vsque, Ptolomęo etiam hoc nomine notos. inde vlterius eandem, litus siue oram maritimam legendo, per fretum Mamertinum, & sic porro ad ostium vsque prædicti fluminis Truenti ducito: quo quidem terrarum spacio nobilissimæ hæ regiones comprehenduntur, Campania felix (hodie *Terra di Lauoro*) Lucania (iam *Basilicata*) Bructij siue Calabria inferior, Magna Græcia siue Calabria superior, Salentini (hodie *Terra de Otranto*) Apulia Peucetia (nunc *Terra di Bari*) Apulia Daunia (hodie *Puglia piane*) Samnites siue *Regnum Ne politanum.*

tes siue

tes siue Aprutium. Omnis vero hic tractus mari alluitur, Adriatico scilicet & Tyrrheno, excepto illo interstitio inter Fundos & ostium Truenti: ac complectitur ambitu supra mille & centum milliaria Italica; superficie vero siue in plano viginti quinque millia & ducenta ferè.

Sicilia. Iam inter omnes Maris Mediterranei insulas Sicilia claritate & rerum omnium fertilitate eminet. Ab Italia angusto admodum freto, quod *Pharum* hodie vocant, dirimitur, vbi angustissimum est, tria circiter aut quatuor milliaria lato. Triquetra est, vnde & Trinacria olim fuit dicta. duo eius cornua siue latera æqualia fere sunt, vtrumq; vero tertio illo maius. Ambitus eius est milliarium circiter septingentorum Italicorum: superficies vero plana decies septies mille, ducéta & viginti fere complectitur.

Sardinia. Sardinia sequitur, cuius circuitus milliarium est paullo minus sexcentorum: plana vero superficies 12800. milliaria circiter patet.

Ducatus Mediolanensis. Habet idem Rex Ducatum Mediolanensem, qui Montisferrati, Pedemontij, Venetæ Reipublicæ, Liguriæ siue Genuensium, Rhætorum & Heluetiorum cōfinia attingit. Plana eius superficies patet circiter quater mille septingenta & viginti milliaria.

Iam

Iam si omne id quod sæpedictus Rex Catholicus ad maritimas Europæ oras possidet, computemus, efficientur secundum ambitum circiter quater mille centum & nonaginta milliaria Italica; secundum vero superficiem, ducenties sexagies sexies mille, centum & sexaginta.

In AFRICA Rex Catholicus Regnum Oran sub dominio habet, cum vniuersa ora maritima, ad Gribalterram vsque, in quo spacio Marzachibir, Melilla, Tanger, & alia oppida & arces continentur. Oran quidem eum portum esse qui Ptolomæo Magnus dicitur, & Tanger Tingim, sub Mauritania (quæ hodie Barbaria) olim comprehensam, regnumque Oran Tremissenum olim dictum, verisimile videtur. Litoris ambitus ab Oran vsque ad fretum Gaditanum siue Herculeum milliaria habet circiter trecenta & quinquaginta. *Regis Catholici in Africa imperiũ.*

Idem Rex Canarias Insulas possidet, Fortunatas veteribus dictas.

In ASIA Regis Catholici imperium agnoscunt, primum Moluçę insulæ, ex ea diuisione quam Alexander Papa inter Reges Castiliæ & Portugalliæ fecit, qui illas quidem terras ad Occidentem sitas, & à Christophoro Columbo Genuensi primum detectas, his vero ad Ortum exporrectas adscripsit, abolito communi antea limite, *In Asia.*

mite, per Hesperides (quæ nunc insulæ Capitis Viridis) Meridiano ducto, & altero quodam vno gradu vlterius à primo constituto, sic vt in Lusitanorum potestate Moluccæ & Philippinæ insulæ permanserint (quarum priori Tomo à nobis facta est mentio) nec non aliæ multæ, Zeilon nempe, Borneo, Celibes, itemque amplissima Iapponiæ & Sinarum regna, quorum tamen pauca, vt & prædictarum insularum, Lusitanos dominos agnoscunt. Quũ vero postea Ferdinandus Magellanus superato freto à se postea denominato, ad Moluccas appulisset, nomine Imperatoris Caroli Quinti earum possessionem apprehendit sibique vindicauit.

Moluccæ aliæque insulæ.

In Asia igitur Rex Catholicus longe lateque imperat, quamuis, vti diximus, multæ & vastæ regiones ac fere innumeri populi eius imperium vel non norint, vel non ferant: vt etiam Brasilia, quę est Peruanę pars, non Lusitanis sed Castellanis subest.

Huc accessit, quod Carolus Quintus Imperator rei numarię penuria pressus, Ioanni vltimo huius nominis Portugalliæ Regi, Sebastiani Anno MDLXXII. in Africa cæsi auo, eam partẽ Moluccarum quæ in diuisione à Papa Alexandro facta sibi obuenerat acceptis trecẽtis Ducatorũ millibus oppignerauit. Vnde factum vt postea Lusitani Moluccas soli possederint, exclusis Castellanis.

Sed

Sed omnium latissimum Catholici Regis in Nouo Orbe est imperium, quo etiam solus ipse fruitur: nec solum maritimas, sed mediterraneas etiam oras & vastissimas regiones sub se habet.

In Nouo Orbe.

Porro Nouum Orbem nos in duas partes nunc diuidemus, quarum vna *Noua Hispania*, altera *Peru* appellatur. Nouam Hispaniam illum terræ tractũ dicimus, qui à freto vbi Peruana, quæ peninsula est, Continenti iungitur, vbi Panama sita est. Sumto ergo à Panama initio, vniuersæ Peruanæ, per Brasiliæ oras & Fretum Magellaninæ, per Brasiliæ oras & Fretum Magellanicum Panamam redeundo, circuitus est milliarium circiter 12600. At superficies vniuersa complectitur sex milliones, & viginti millia milliarium. Ex hac summa si detrahas septies centena & viginti millia, quæ loca deserta & occulta occupant, reliqua fient circiter sexagies centena millia, siue sex milliones. Nouæ quoque Hispaniæ ora à prouincia Florida Iucatanam, inde Panamam & Quiuiram vsque versus occasum & Septemtriones, milliaria continet quinquies mille ducenta & viginti. Superficies vero decies centena & 88. à quibus demtis octuaginta millib. quæ inculta forsan iacent, restant decies cẽtena millia, quibus in vniuersũ patet Noua Hispania. Iam contracta totius Noui Orbis vnâ in summâ quantitate siue magnitudine, circuitus eius

Noua Hispania.

us litoralis milliarium eſt 17820. ſuperficiei vero ſinus omnis ſeptem circiter milliones, ſiue ſeptuagies centena milliarium millia complectitur.

Vt vero ſupra in deſcribenda Turcici imperij magnitudine multas inſulas omiſi; ita heic quoque in Noui Orbis dimetienda quantitate nullas quæ in Nouo Orbe plurimæ ſunt & immenſæ, addo: quamuis harum ſpacium illarum ambitu multis partibus maius ſit.

Quod ſi ergo vnam in ſummam contrahamus illud quod à Catholico Rege in Europa & Nouo Orbe tantum poſſidetur, omiſſis quæ in Africa & Aſia eius ſubſunt imperio, reperiemus circuitum litoralem cõplecti milliarium viginti duo millia & decem; ſinum vero ſiue ſuperficiem vniuerſam ſeptem milliones, & inſuper ducenta ſexaginta ſex millia, centum & ſexaginta.

Quum vero ſupra demonſtratum ſit ambitum oræ maritimæ à Turcis poſſeſſæ continere milliarium Italicorum vndecim millia ducenta octuaginta; manifeſtum eſt Catholici Regis ſecundum hanc dimenſionem imperium dimidio fere eſſe maius. Iam ſi ad ipſius ſinus ſiue ſuperficiei veniamus dimenſionem, quum Turcarum quã longè lateque patet imperium, complectatur ſeptem milliones milliarium, & inſuper ducenta ſexaginta ſex millia, centum

tum & sexaginta; certa demonstratione euincitur Catholici regis imperium Turcico imperio sexies fere & dimidia parte maius esse, nec hoc, quoad amplitudinem, cum illo comparari posse.

Globi terrestris magnitudo.

Iam, vt illud quoque addam, quum vniuersus orbis terrestris pateat milliaria Italica 21600. vni gradui maioris circuli cœlestis attribuendo milliaria Italica sexaginta in terrestri circulo, diameter vero terræ, secundum Archimedem, complectatur milliarium sex millia, octingenta septuaginta duo: ex multiplicatione prædictæ summæ nascetur vniuersæ superficiei terrestris quàm late patet quantitas, continens centum quadraginta octo milliones, quater centies & quinquagies mille, nongenta & nouem milliaria circiter: cuius vniuersæ summæ rex Catholicus vnam & viginti cum dimidia partes fere possidet. Quod ita intelligendum est: si vniuersam hanc superficiem in viginti partes diuidamus, Regem Catholicum de ea tenere sub imperio vnam partem & dimidiam fere; ac si eamdem in centum & quadraginta octo partes partiamur, Turcam vix vni eius parti imperare.

Quod si omissa ista accuratiori terræ dimensione, & milliarium calculatione, scire quis cupiat quantum Turcarum imperium spacij in terrestri globo complectatur, sciat is in vniuersum esse circiter decies centena

trecenta sexaginta octo millia nongenta & vndesexaginta milliaria. At Catholici regis imperium continet octo milliones, sexaginta quatuor millia centum & sexaginta. Hinc manifestũ est Catholici Regis imperium habere se ad Turcici imperij quantitatem, tamquam tredecim ad duo; aut vt accuratius rationem subducamus, velut octoginta ad tredecim; aut quam accuratissime, veluti se habent 8074160. ad 1378956. vel denique ad minutos numeros reducendo, velut 433. ad 74. Monitum tamẽ te hic velim, Lector, nos ad viuum, quod dicitur, omnia hic non resecare, sed verba rebus accommodare, quæ quidem Geometricas demonstrationes non admittunt.

Quod si quis dicat, in Hispaniarum dimetiendo ambitu nos Lusitaniam siue Portugalliam quoque inclusisse, quæ quum Hispaniarum regi subiecta non sit, ad superiorem quoque illam supputationem venire nõ debeat; is velim consideret quam magnum terrarum spacium Hispanico subiectum imperio omiserimus: vt omnem illam cui Catholicus Rex dominatur, Africæ oram, vt Baleares insulas, Maioricam & Minoricam hodie, vt Fortunatas siue Canarias, aliasque permultas; quarum omnium spacium illud quod Portugallia detrahit, non modo suppleuerit, verumetiam superarit.

Ex ijs quæ hactenus demonstrata sunt

facile

facile patet, si imperij amplitudinem spectare velimus, Catholicum Hispaniarum Regem inter omnes totius Orbis terrarum monarchas primum obtinere locum, nec quemquam cum eo comparari posse.

Quamuis enim magnus Tartariæ Cham siue Imperator vastissimis regionibus dominetur: vniuersum tamen eius imperium tantum circiter vicies & bis centena millia milliarium, quantum quantum est, complectitur. *Tartariæ imperij magnitudo.*

Persarum quoque Rex licet amplissimũ possideat imperium; id tamen Tartarico ali quanto minus est: quippe quod in vniuersum circiter vicies centena & quinquaginta millia milliarium continet. *Persici.*

Inter omnes vero solus Abyssinorum siue Æthiopiæ Rex (quem vulgo *Presbyterum Ioannem* nominant, alij *Pretiosum Imperatorem* interpretãtur) imperij magnitudine Catholico Regi proximus est: quum quinquagies centena & quinquaginta milliarium millia (quinque scilicet milliones & dimidium) suo imperio sit complexus, in quo tamen multæ vastissimæ sunt solitudines & loca habitationibus vacua. *Abyssinorum Regis.*

Reliqui Orbis terrarum Monarchæ, Reges & Principes, si imperij spectetur amplitudo, cum prædictis nullo modo cõparari possunt; eoque in hunc numerum siue Catalogum non accensentur.

Dicimus itaque, idque iam demonstraui- mus, quoad imperij magnitudinem, prim & præcipuum totius Orbis Monarcham ess *Catholicum Hispaniarum Regem.*

Monarcæ præcipui Orbis terrarum.

Secundum locum *Presbytero* siue *Precio Ioanni, Abyssinorum vel Aethiopum Regi* dabimus

Tertium *magno Tartarorum Chamo vel Imperatori.*

Quartum *Persarum Regi siue Sophi.*

Quintum *Turcarum Imperatori.*

Omnes reliqui, vti diximus, totius Orbis Principes, quantumuis magnas & opulentas sub imperio habeant regiones, cum quinque his Monarchis conferri non possunt: quippe quorum omnium imperium contineat vndeviginti circiter milliones, ducenta tria millia, centum & vndeviginti milliaria: quæ summa cum vniuersa Terrestris globi superficie comparata, vix octauam eius partem adæquat.

Quod si quis ad terrestre illorum imperium Maria & Aquas eo comprehensas adiunxerit, procul dubio deprehendet vniuersum eorum dominium semissem Terræ & Aquæ, quæ vnum globum constituunt, complecti, & fortassis aliquanto plus. Quũ vero Terra eorum contenta imperio, aquis permista, vt est, intelligatur; credibile est ex omni terrarum illarum spacio vix duas partes alteras eius quod aquis obrutum est, reliquas fieri, vt facile deprehendet is qui Mathe-

Mathematico hic calculo vti velit. Sed hæc iam satis sunto.

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XXXVI.

Quod est

DE REBVS TVRCICIS DISSERTATIO:

In qua primum demonstratur vanam esse illam diffidentiam quæ nonnullorum animos occupauit, Turcas à Christianis apertis viribus debellari aut vinci non posse. Deinde caussæ explicantur ob quas pleraque Christianorum Principum contra Turcas Federa parum hactenus fructuosa & efficacia fuerint, speciatim vero quid in illis quæ Annis M. D. XXVII. & M. D. LXXI. inita sunt, peccatum fuerit. Modus denique indicatur, quo perfectum & ad Turcici imperij expugnationem sufficiens Fedus inter Christianos Principes confieri poßit.

ETsi multorum animos ea occupauit opinio, Turcarum imperium tantis opibus subnixũ, à Christianis non dico euerti, sed impelli aut cócuti, id est, graui aliquo damno affici non posse: eos ta-

men ego non modo vehementer errare, sed etiam Christianæ Reipublicæ non parum obesse, non rationibus tantum, sed exemplis etiam atq; ipsa experientia demonstrabo. Ac primum Turcarum vires, quantæcunq; eæ sint, non esse insuperabiles, mirabilis potius quam miserabilis Baiazethi I. casus docuit: qui à Tamerlane Tartarorum Imperatore, ad internecionem ipsius deleto exercitu, captus, & per ludibrium diu circumductus, atque etiam ascendentis in equum Tamerlanis pedibus scabelli loco suppositus, in tristissima seruitute vitam finiuit. Simili strage Carambeirus ab Amurathe II. ad bellum contra Hungaros & Polonos gerendũ missus, in valle montis Hæmi ab Vladislao Poloniæ Rege affectus fuit. Quum enim iã dictus Cambeirus magnis cum copijs venisset vt cladem quam Natoliæ Præses à Ioanne Hunniade, qui magnam ei Seruiæ partem, & vniuersam fere Moldauiam eripuerat, vlcisceretur, nostrisque rependeret: tantum abest vt quod instituerat perfecerit, vt e iam amissis omnibus copijs, in nostrorum venerit potestatem. Eodem modo Turcarum exercitus quem Beiazetus II. Calibero & Querseolo ductoribus contra Caitheum Ægypti Sultanum miserat, quod is Zizimũ fratrem Baiazethi milite & pecunia iuuisset, non procul ab Adena Ciliciæ vrbe tanta clade affectus fuit quantam ad eum vsque

diem

diem Turcæ vix ſenſerant: quum ex centum bellatorum millibus qui prœlio interfuerant, vix triginta millia euaſerint, quamuis Sultani exercitus vix ſextam Turcici partem adæquaret. Sed numeri defectum duorum Italorum conſilium & Meluchorum induſtria facile ſuppleuit, quandoquidem Turcæ improuiſo Aegyptiorum aſſultu, quum nihil minus exſpectarent, oppreſſi, fugę circumſpiciendæ tempus habuerunt, in qua tamen ipſa quamplurimi quoque perierunt. A Viennæ obſidione Solimanus diſceſſit, amiſſis ſexaginta hominum millibus, qui in viginti aſſultibus quibus vrbem inuaſerat, occiſi ſunt. Et licet is ſequenti anno maiorem fere inſtruxerit exercitum (vtpote in quo ducenta bellatorum millia fuiſſe memorantur) eo conſilio vt vniuerſam Hungariam, & Bohemiam quoque depopularetur, atque ita acceptam offenſam quam crudeliſſime vindicaret: tamen vbi primum de Caroli V. contra ſe expeditione accepit, tanta cum feſtinatione retroceſſit, vt impedimenta auehendi vix tempus ſibi ſumſerit. *Itemque Nauales.* Quid vero de naualibus Turcarum copijs ſentiendum ſit, inſignis illa & æterna memoria digna ad Naupactum Chriſtianorum, Ioanne Auſtrio Caroli Quinti notho, Sebaſtiano Venerio, Marco Antonio Columna, alijſque ductoribus, victoria de-

clarat, quæ Turcarum ferociam ita compressit, vt iam vinci, vt cum Poeta loquar, dociles, Christianorum vires tam terra quã mari multo magis quam antea extimescant. Scanderbegi facinora omitto; quibus ille Epirum siue Albaniam patriam suam & auitum imperium è tristissima Turcarum seruitute vindicauit, tot tantisque inclitus victorijs, vt verus Hercules merito videri possit. Nihil hic quoque dicam de Ioanne Hunniade & Matthia Coruino, qui exiguis copijs ingentes Turcarum exercitus fugarunt ac dissiparunt. Sed & Lusitani non ita magnis viribus Turcarum impetus per Mare Rubrum in Indiam penetrare conantium represserunt, vt tale quid amplius tentare nec velint nec possint. Nuper quoque Tartari (si vera fama est) Tauricam Chersonesum, *Perocopsciam* hodie dictam, Turcis eripuerunt. Qui Turcarum historias siue res gestas curiosius perscrutati sunt, aiunt è triginta sex prœlijs quæ ducentorum & octoginta annorum spacio Turcæ cum diuersis gentibus commiserunt, duodeviginti tantum prospera ipsis euenisse, in reliquis omnibus eos fuisse inferiores. Ex quibus sane manifestum est Turcarum vires minime esse, prout dicuntur, invincibiles, sed æqua fere lance inter victoriam & cladem semper fuisse appensas: adeo vt si serio vires suas Christiani Principes contra illos conuerterint, magna

Ioannes & Matthias Hunniades.

na

na victoriæ ſpes oſtendatur, & vna facile plures paritura ſit. Quamuis autem Turcarum potentia, vti diximus inſuperabilis non ſit: fatendum tamen eſt, ſingulorum Principum Chriſtianorum vires ſeparatim parum contra eam poſſe. Quis igitur eius debellandæ ac frangendæ modus? Equidem non alius niſi vt vel omnes, vel certe præcipui Chriſtiani Reges & Principes commune contra hereditarium hoſtem fedus percutiant, & communem, coniunctis viribus, fortunam experiantur. Quod quibus rationibus quam commodiſſime fieri poſſit, breuiter indicabo, vbi prius cauſſas explicauero, ob quas Federa hactenus inter Chriſtianos contra Turcas inita, non talem qualis ſperabatur, ſortita ſint euentum.

Quæ in Federibus Christianorum contra Turcas peccata.

Multa quidem hactenus in Chriſtianorũ Principum Confederationibus vel ſecus facta, vel inconſulto decreta, vel perperam fuiſſe obſeruata dubium non eſt. Id ſi cui durius aliquanto dictu ac minus probabile videatur, age omnes res diligenter mecum expendat. Certum eſt atque indubitatum, omnibus fere Principum actionibus duos eſſe fines propoſitos, honeſtatem atque vtilitatem. Neque illud humanarum rerum peritus negauerit, maiorem ſæpe à pleriſque vtilitatis quam honeſtatis haberi rationem. Porro quum illa ad quam omnes hominum actiones collineare diximus, vtilitas ab omnibus

qui in Turcici belli cogitationem incumbũt, par aut æqualis sperari nequeat, quum vnus propius, alter longius vt à metu & periculo, ita à spe quoque emolumenti absit: fit quoque vt alij alijs consilijs vtantur, & hic illum, alius alium rei gerendæ modum proponat. Quamquam vero non leuia hinc oriantur incommoda; illud tamen longe maius est, ac nescio an longe maximum, quod in Federis sanciendis legibus inter omnes vix vllus reperitur consensus vel concordia. Huius vero dissensionis caussæ præcipuæ sunt. Primo quod Principum Turcico imperio finitimorum non eadem est aut æqualis potentia, sed vnus quidem viribus præpolleat, alter vero multo sit inferior. Ex hac virium diuersitate illud existit, vt alter altero plures habeat & meliores proprijs viribus vel defendendi sui, vel hostis oppugnandi facultates: quum imbecilliores Turcarum iniurijs, excursionibus & rapinis vndiquaque sint expositi. Iam illud certo certius est, eos qui lõgius à periculo absunt, difficilius quoque ad bellum tam suscipiendum quam gerendum, aut vllam eo nomine pecuniam conferendã induci: qui si periculo propiores essent, non modo non opibus, sed ne vitæ quoque ipsi parsuri erant, vt illud quam primum & quã procul à se depellerent. Præterea illi Principes qui eiusmodi Expeditionis vtilitates aut non intelligunt, aut non sperant, exiguam

Cur Principes nonnulli ægre contra Turcas arma capiant.

am admodum vel potius nullam eius promouendæ curam gerunt: econtra vero quos propinqui Tyranni metus premit, omnibus cogitationibus & viribus eò incumbunt, vt tam suis quam aliorum viribus quam diligentissime se muniant & defendant. Si denique Principum aliquis ad commune Fedus vocatus, illud suis rebus parum vtilitatis allaturum perspexerit; etiamsi confederationi nomen dederit, numquam tamen ad communem caussam defendendam eam animi alacritatem, affectum & diligentiam afferet, quam rei magnitudo requirit. Ecce quomodo diuersa vel inæqualis potius vtilitatis ratio ipsis Confederationum principijs obstet, progressum retardet, finem vero omnino incertú reddat, ob varios Principum affectus & consilia, quæ illi ex suis ipsorum rationibus capiunt & moderantur. Ex quo sane fit vt eiusmodi Confederationibus ægre substerni ea possint fundamenta, quæ felix principium, progressum prosperũ, finem deniq; siue exitum optatum dare, aut certò promittere possint. Quocirca frustra fuerit qui non remoto hoc vtilitatis respectu, aliquem ex eiusmodi Confederatione ad rerum summã fructũ sperabit. Huc alterũ accedit incõmodũ, altero illo tãto maius, itidẽ ex vicinitate ortũ. Prout .n. quisq; Turcarum imperio est propinquior, tanto magis ob metum à bello cõtra eos abhorret. Exempli gratia. Hispani

Alge-

Algeriani regni vicinitatẽ formidãt; Veneti Epirotas nimium vicinos metuunt, &c. Iam si inter Hispanos & Venetos contra Turcas Fedus ineatur, Hispani quidem meridionalem, Veneti vero Orientalem Turcici imperij plagam oppugnari volent: quæ dissensio dubium non est quin omnem huius Confederationis vtilitatem corruptura sit. Est & aliud incommodum, Contributionis scilicet inæqualitas. Quum enim sociorum vires inæquales sint, fit quoque vt alter plus alter minus in belli sumtus conferat. Iam si, verbi gratia, sociorum aliquis sit qui dimidiam partem oneris sustineat, is procul dubio præcipuas imperandi partes sibi sumet, omnemque ad se trahet auctoritatem, sic vt reliquorum omnium frustra sine eo futurus sit conatus. Qui si pedem alicubi figere aut morari voluerit, ceteris quoque desidendum erit: si aliò quam initio constitutum erat, castra transtulerit; ceteris sequendum erit: si domesticis negocijs auocatus, exercitum vel classem reducere statuerit, ceteri sequi eum, velint nolint, cogentur: sicque illi omne oleum & operam, quod aiunt, perdent, & non modo consilij sui nullum inuenient exitum, sed etiam, tam formidabili iritato hoste, longe maioribus periculis se suaque exponent. Et profecto hæc quæ diximus omnia & singula, si non ex corpore, sed singulis eius membris ea metiamur,

tiamur, tanta ac talia sunt, vt nulla firmæ in eiusmodi Federibus concordiæ stabiliendæ ac dissensionis amoliendæ ratio superesse videatur, nisi Deus eam ipsorum Principum animis inspirarit.

Hic à proposito nostro non alienum fuerit defectus quosdam & vitia indicare, quæ in duabus præcipuis ac maxime memorabilibus Christianorum Principum superioris temporis Confederationibus prudentiores notarunt. Harum prima fuit illa quæ inter Paullum III. P. M. Carolum V. Imperatorem, & Venetos icta fuit. inter alias conditiones hæ quoque fuerunt: Vt Imperator & Melitensium equitum Ordo octoginta duas triremes mitterent, Veneti totidem, Pontifex vero tantum sex & triginta. Imperatoriæ Classi præfectus fuit Andreas Auria; Venetæ, Vincentius Capellus; Pontificię, Marcus Grimanus Patriarcha Aquilegiensis, eique vicarius datus Paullus Iustinianus. Terrestribus copijs summo cum imperio præerat Ferdinandus Gonzaga. Conuentum itidem fuit inter Principes, vt quidquid in Græcia vel Dalmatia à classe occuparetur, id omne Venetis cederet, ad compensandam quam paullo ante à Turcis acceperant iacturam, & explendas quodãmodo tantorum quos sustinebãt, sumtuum lacunas. Solimanus vbi classem contra se in procinctu stare accepit, magna & ipse diligentia,

Vitia Federis à PP. Carolo V. et Venetis cõtra Turcas inisi.

gentia suam ornauit, & versus Cretam insulã eduxit, vbi exscensione facta, prædæ aliquãtulum egit. His rebus perfectis, Barbarussã cum classe in sinu Lartensi Christianorum classem exspectare atque obseruare iussit, quæ quidem se mouerat iam, sed tam parum promouerat vt omne rei bene gerẽdæ tempus interea amiserit, ac hostem ne semel quidem viderit. Sed omnium incommodissime nostris accidit, quod tempestate coacti, ad Corcyram classem, vnde egressa fuerat, reduxerunt. Interea Barbarussa ad Antipaxon vsque insulam nostros insequutus, quum à nostris ad prœlium classem instrui animaduertisset, ad pristinam stationem subito reuersus est. Quocirca nostri consiliorum incerti, Dyrrhachium petere decreuerant: sed quum portus ille triremib. minus esset idoneus, Castellum nouum oppugnarunt & ceperunt, cuius quidem expugnatio, si sumtuũ in hanc classem factorum spectetur magnitudo, nostris puduri magis quam honori, exiguo certe emolumento fuit. Arcem hanc vniuersæ classis viribus expugnatam Hispani continuo suæ potestatis fecerunt: quam sui iuris esse, ex Federis legibus, Veneti cõtendebant. Quum vero Hispani cedere nollent, Veneti occasionem deserendi Federis arripuerunt. Quo rupto, Solimanus anno sequenti Castellum nouum non recepit tãtum, verum etiam omne Hispanorum præsidium

dium partim interemit, partim in miserabilem seruitutem abduxit. Quàmuis autē pax, quam cum Turcis Veneti postea fecerūt, detrimētosa ipsorum rebus aliquantum fuerit: maluerunt tamen pace non iniquissima frui quam eiusmodi Federa in quibus potentior præcipuum sibi victoriæ fructum vindicat, iterum experiri. Quamquā & aliæ sunt causæ quæ Venetos ad pacem faciendam impulerūt, inprimis vero commerciorū cessatio, à quibus omnis fere istius Reipublicæ incolumitas dependet, & ærarij tantis in classem sumtibus exhausti vel propediem exhauriendi inopia: cuius subleuandæ, cessantibus commercijs, nullus restat modus.

Fedus à libera voluntate debet proficisci.

Ex altero illo Federe quod Anno MDLXXI. ictum fuit, non multo maius emolumentum Christiana Respublica consequuta est. Tantorum enim sumtuum ac tam celebris victoriæ vix vllus alius fructus fuit, quā quod nostri, præsertim mari, Turcis formidabiliores esse posthac cœperunt. Patrato siquidem prœlio, sociorum vires paulatim distractæ ac dilapsæ sunt, Venetis iterum, eadem fortassis qua in superiori Federe æmulatione, in pacis studium incumbentibus.

Iam res monet vt ostendamus quibus modis omnia hęc amoueri possint impedimenta, & Confederatio firma ac stabilis, excluso omni priuatæ vtilitatis respectu, ex libera voluntate, & singulari animi magnitudine

ad De-

ad Dei gloriam & Christianæ Reip. augmẽtũ, inire. Cuius quidẽ Confederationis leges & cõditiones quum à nulla necessitate impositæ, sed liberæ omnino sint, maiorem etiam procul dubio illa afferet fructum. Duo quidem illa modo à nobis commemorata Federa temporibus tam periculosis percussa sunt, vt ceteri quamuis à periculo longe adhuc abessent, cum Venetis tamen (qui periculo proximi erant, & per quorum latus ceteri quoque, præsertim finitimi Principes, petebantur) arma coniungere decreuerint. Sic igitur quum hi quidem, Veneti scilicet, inter sacrum & saxum constituti, extrema fere exspectarent; illi vero nullo armorum metu, sed vel spe quadam amplificandi imperij, vel etiam commiseratione inducti, in societatem adscribi se paterentur: factum est vt eæ federi adscriptæ sint conditiones, non quæ ad rem bene gerendam fedusque stabiliendum & conseruandum commodæ erant, sed quas Veneti rebus suis magis necessarias quam vtiles aspernari non poterãt, vt impendens ceruicibus suis malũ quibus poterant modis amolirentur. Quapropter Fedus tum demum firmum erit & stabile, si nulla necessitate exprimatur, sed spõte fiat: nec eousque exspectandum est dum sociorum alicui hostis iam insideat. Qui enim tum demum quum oppressi fuerint, alienam opem circumspicient, præterquam quod in suorum

Fedus à libera volun tate debet proficisci.

ſuorum animis metum augent, ſe ipſos quoque inconſiderate multis neceſſitatibus adſtringunt, dum non vtilia ipſis aut honorifica, ſed rebus ſuis neceſſaria conſectari atque etiam acceptare coguntur. Pacis ergo tempore, ac tum potiſſimum quum nulla cogit neceſſitas, Federa & ſocietates ineundę ſunt, ſi promte atque alacriter conſentientibus animis auxilia à ſocijs vel ad hoſtem vltro oppugnandum, vel ad vim repellendam cōferri velimus.

Quo vero tanto maior atque honeſtior fructus ex eiuſmodi Confederatione percipiatur, remouenda ſunt omnia illa obſtacula, quibus felix binæ illius de qua ſupra diximus, progreſſus fuit retardatus. Ac primò quidem, vti dicere cœpimus, neceſſe eſt vt pactiones hæ ſiue Confederationes voluntariæ ſint, id eſt, vt Principes ſponte ſua & vltro, nulla cogente neceſſiitate vires ſuas coniungant, eademque animi intentione, quamuis diuerſis vijs & rationibus, communem hoſtem oppugnent: ne vbi ad tractationem aut ipſam rem ventum fuerit, vnus ex alterius neceſſitatibus ſuum commodum quærat. Hac enim ratione conditiones æquales omnibus ferentur, ac pro virium ſuarum proportione, procul ab omni ſuſpicione, aut inuidia, vel metu, quiſque ad felicem Confederationis finem conſequendum tam auxilia quam conſilia ſua diriget atque ac-

Quomodo Federa fieri debeant.

commodabit.

Sed quia non satis est Confederationum defectus & vitia habere cognita, iam etiam quomodo earum stabile fundamentum poni queat, paucis & veluti digito commonstrabo. Illud, meo quidem iudicio, in primis necessarium est, vt si non eodem loco, saltem eodem tempore Confederatorum vires in hostem conuertantur, vtque singuli eum quà proximus ipsis est, hostem oppugnandum sibi sumat. Exempli gratia, vt Hispani regnũ Algerianum vel Tunetanũ, Veneti & Pontifex Epirum siue Albaniam inuadãt, Sabaudicæ siue Pedemontanæ, Melitẽses & Florentinæ triremes, si Venetę aut Hispaniensi classi coniungere se nolint, visitatum sibi hactenus teneant cursum, & qua proxima sese offert occasio, fortunã experiantur: Poloni vero Valachiam & vicinas regiones; Imperator deniq; & Germanię Principes quę Turcę in Hungaria tenent oppida & præsidia aggrediãtur. Certa res est, si hoc modo quisque à suo latere hostem carpẽdo veluti inter se certamẽ ceperint, fore vt boni exitus spe, aut etiam verecundia quadã, ne quis ceteris strenue rem gerẽtibus ignauior habeatur, omnes sumtus & labores bene collocati videantur: quũ quisq; rem suã agat, & quantũ hosti demserit, tantum ad suã ipsius addat vtilitatẽ & securitatẽ. Econtra hostis vndiq; armis petiti vires distrahentur, &

quocum-

quocunq, conuertentur, depellendo ab omnib. locis periculo satis nō erunt. Melitensiū quidem Orientalē maris Mediterranei partem peruagantium (quod facile ipsis) triremiū metu, Alexandrina & Rhodiensis classis intra suas se stationes continebit. Quod si Hispaniarum rex Mauritaniā(quæ Barbaria hodie)assiliat, credibile est Algerianas naues statione sua aut portu egredi non ausuras: interea vero per totum mare libere volitabūt Veneti,& quidquid occurrerit, in suam facile redigent potestatem. Sed & quā confusionem apud Turcas orituram existimas, si Poloniæ rex Valachiam & vicinas regiones, Imperator vero & Germani Hungariam vno & eodem tempore inuadant? Exemplum si quis requirat, recens dabo. Quo tempore Solimanus Hungarico bello contra Carolum V. occupatus, maximas secum vires in Hungariam & Austriam traxit, Andreas Auria Imperatoriæ classi præfectus paucis nauibus omnes ad Orientem maris Mediterranei sinus impune ac magno cum sui metu peruasit, & Coronem etiam & Patras oppida cepit & diripuit, nullibi ne conspecto quidem hoste. Ex quo facile perspicitur, si Christiani Principes Turcis vno eodemque tempore arma suis quisque in finibus inferant, in quantas eos redacturi sint angustias. Restat aliud quoque ad debellandos Tu cas

Turca vndiquaque inuadendus.

aptiſſimum remedium, ſed difficilius aliquanto quam vt eius vſurpandi ſpes ſit. Id vero eſt, vt omnes vbique Chriſtiani Principes, etiam qui à Turcici imperij finibus longe abſunt, auxilia conferant. Sed vereor, ne hic ſurdo, quod aiunt, canatur: ſiquidem quum illi periculum ad ſe non attinere exiſtiment, non facile quiſquam ab eis impetrabit vt in eo amoliendo aut diſcutiendo vllos facere ſumtus in animum inducant; quippe qui minus prudentis eſſe putent, ſuis impenſis aliorum proſpicere ſecuritati. Quũ ergo plerique omnes nihil magis quam proprias vtilitates ſequantur; earum vero ex hoc bello conſequendarum nõ eadem omnibus ſpes ſit: perſpicuum eſt fieri vix poſſe vt tale quale res ipſa requirit Fedus inter eos percutiatur, aut percuſſum diu duret. Atqui profecto, ſi quod affectamus vere eſſe velimus, Chriſtiani videlicet, eiectis ceteris omnibus ex corde cogitationibus, ad vnius Dei gloriam, & Sanctæ Eccleſiæ amplificationem reſpicere, noſtraque conſilia & actiones dirigere debemus, exemplo pientiſſimorum quorumdam, qui ſuperioribus tẽporibus vixerunt, remq; Chriſtianam multis modis iuuerunt, Principum; inprimis vero Godefridi Bullionij, quem tam ſanctæ & ſolo diuinæ gloriæ zelo ſuſceptæ Expeditionis ducem, multi Principes & Domini ipſo longe maiores ſequi non dubitarunt,

Godefridi Bullionii expeditio.

neque

neque dum Imperatoris aut Regis alicuius auctoritas vel auxilium interueniret, exſpectandum ſibi ſtatuerunt; ita vt breui tempore ingentem confecerint exercitum, vtpote in quo centum equitum millia, & trecenta peditum millia fuiſſe dicuntur, cum omnis generis copioſo apparatu. Et his quidem copijs Bullionius vniuerſum ferme Orientem domuit: regnum certe Hieroſolymitanum & totam Palęſtinam infidelibus eripuit, cum immortali nominis ſui honore. Quod vero perſuadent ſibi nonnulli, ſe à periculo longe adhuc abeſſe; vehementer illi quidem & nõ ſine magno periculo errãt. Quid enim? Traijciente Amurathe II. ex Aſia in Europam, quam longe, quęſo, Hungaria inde diſtabat? multo certe longius quam nunc vel Saxonia vel Bauaria, vel Heluetia, vel ipſum quoque Franciæ regnum à Turcici imperij finibus abeſt. Atqui annon magna & melior Hungariæ pars hodie ſub triſtiſſima Turcarum ſeruitute gemit? Delirant profecto, vel potius inſaniunt, qui vel in montis alicuius interpoſitu, aut fluminis curſu intermedio, aut alterius prouinciæ obiectu vllam ſibi promittunt ſecuritatem: quæ omnia dici non poteſt, quam cito hoſtis tam alacris & potens perruperit. Illud igitur ſemper hic meminerint omnes Chriſtiani Principes: *Nam tua res agitur, paries quum proximus ardet.* Quid autẽ? etiamſi à periculo quam longiſſime adhuc

absimus, anne aliorum, & quidem fratrum nostrorum calamitates & miserias nihil ad nos pertinere existimabimus? annon tot innocentium animarum miserebimur? annon pro viribus tam grauiter pressos atque afflictos adiuuabimus? Aliter profecto facere non possumus, nisi Dei mandatorumque eius plane obliuisci velimus. Præterea qui futura ex præsentibus tantum conijciunt, vtplurimum à seipsis decipiuntur. Neq; enim si hodie ita est, cras etiam ita erit. Ea igitur tā præsentium quam futurorum cura habenda est, vt nostris eam pariamus & relinquamus securitatem qua nósipsi frui expetimus: vtq; nobis donatis & ad aliam vitam profectis, illi hanc vitam, quantum humana fieri potest industria, tuto & secure degere queāt. Quod si quem neque posteritatis cura, neque sui Status periculum, neque gloriæ splendor ad commune hoc fedus & tam sanctam Expeditionem moueat atq; impellat: quisquamne tam iners atque ignauus, tam expers charitatis, tam auersus ab omni religione, & Dei amore ac diuinæ gloriæ zelo erit, vt cui vni vires suas oēs, honores & imperium acceptū referre debet, eius vineam, id est, Ecclesiam, non tantum non colere ipse non velit, sed quantum in se est, infidelibus vastandam & diripiendam prostituat, vel certe relinquat? Ad quid, ô Italia, tam longo tempore, tot tantosque congessisti thesauros? Vos vero Germa-

Germaniæ Principes & Ciuitates, vbi diuitias vestras melius collocabitis? quem aptiorem immortalis acquirendæ gloriæ modũ exspectatis? Equidem hic de gloria diuini nominis, de Christianæ Religionis amplificatione agitur, quibus omnes homines vel vitam ipsam impendere, debent. Hic consilia ineuntur quomodo sancta illa & ipsius Dei & Saluatoris nostri pedibus calcata terra ex immani eripiatur tyrannide. Hic occasio datur multa animarum millia è durissima liberandi seruitute. Hic amplissimus se campus aperit tot tamque atroces iniurias & blasphemias, quibus rabiosi illi canes Deum ipsum affecerunt, eiusque Ecclesiam omni scelere lacerarunt, egregie vlciscendi. Quod si etiam humani animi terrenis inhiantis cupiditatibus aliquid indulgendum est; ecce vobis spem prædæ opulentissimæ, quæ facile sumptus à vobis in bellum factos (modo animus contra hostem ne desit) compensabit: Vobis præsertim, Principes, quibus numerosa filiorum & nepotum est progenies, qui hac ratione vel insigni ac præcipuo aliquo, addo etiam fructuoso munere in hac Expeditione cohonestabuntur, vel etiam hostium exuuijs & spolijs ditati, noua imperia ac nouas ditiones acquirent. Sed & sine hoc, quidquid ad Dei gloriam & Ecclesiæ salutem impenditur, bene impensum existimari debet.

Honestas & vtilitas belli Turcici.

Is, quem diximus, Godefridus Bullionius totum suum Ducatum in sanctam illam Expeditionem impendit? an propterea tanto pauperior fuit? nequaquam, sed è Duce Rex factus, immortalem posteris gloriam reliquit. idem fecit Carnutum Comes, alijque domini & magnates: nec quisquam fuit quē facti pœnituerit. Sic Carolus Septimus Francorum rex, nullo priuatæ vtilitatis respectu, insignem equitatum Imperatori Constantinopolitano auxilio misit, eique præcipuos totius regni proceres præfecit. Multa quidem alia huc à nobis adferri possent; sed hæc satis sunt. Illud tantum ad extremum Principes monitos volo, ne proximi periculum negligant, sed persuasum habeant id ad se quoque pertinere.

THE-

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XXXVII.

Quod est

DISSERTATIVNCVLA:

In qua modi quidam oſtenduntur, quibus Turcico imperio ſubditi facile ad ſeditionem concitari atque inflammari poßint.

MISERA illa atque acerba ſeruitus, qua immaniſſimus Turcarum tyrannus ſubditos ſuos oppreſſos ac conſtrictos tenet, eundem cogit quaſi, vt omnibus modis eos exarmare ſtudeat; nec quidquam relinquere quod vel ad minimum depellendæ ſeruitutis conatum animare eos poſſit. Et huius quidem metus iuſtiſſimas ille habet cauſſas: quippe qui ſciat, nihil violentum eſſe diuturnum: & malum imperij cuſtodem eſſe Metum. Etſi vero ea eſt ſubditorum per vniuerſum fere Turcicum imperium conditio, vt ſi maxime iugum excutere velint, non poſſint tamen, quippe omnibus fere viribus nudati: ego tamen quibus *Seruitus apud Turcas.*

 modis

Personæ priuatæ cor rumpendæ.

modis ad sedititionem illi concitari possint, paucis indicabo. Ac primum fieri hoc potest particularis alicuius personę opera. Illa vero vel priuata est vel publica. Priuatæ personæ illæ sunt, quæ operam suam ad facinus siue bonum siue malum patrandum, precio addicere solēt: in quibus conducendis ac summittendis non tanta opus est arte vel industria. At in publicis corrumpendis & ad nostras partes traducendis personis, siue illę generis splendore siue publici officij prærogatiua in imperio aliquo multum possint, longe maior sollicitudo & dexteritas requiritur. Nec enim facile eiusmodi induci se patiūtur, nisi ambitione aut amicitia excæceti, vel etiam iusta aliqua contra dominos suos indignatione stimulati, futura magis quam præsentia consectentur. Tunc enim, præsertim si rei executio videatur facilis ac minus periculosa, non involuntarie aures nouas spes ingerentibus præbent. Et illæ quidem quæ per homines priuatos suscipiuntur machinationes, incertæ admodum sunt, multisq; periculis expositæ, quippe quæ sæpe ab vnius infidi hominis fide dependeant. At si magnorum & potentium virorum tentare velimus animos, opera danda est vt idonea captemus tempora, vtque diligenter obseruemus quinam Principi minus æqui sint, siue iniuria quadam sibiipsis illata, siue alterius sibi prælati dignitate offensi: & in vniuersū

Et publicæ.

quinam

quinam præsentium pertęsi, nouis rebus stu-
deant, aut libertatem vel etiã imperiũ affe-
ctant. Ecce tibi modum & occasionem, qui-
bus si recte & dextre vtãtur Christiani Prin-
cipes, paulatim communis hostis imperium
labefactare, ac tandem etiã euertere possint;
pro leonis exuuijs, quod dicitur, vulpinam
pellem induendo. Ferathes quidem Bassa æ-
mulatione & inuidia contra Ibraimum Bas-
sam, quẽ Solimanus ipsi prętulerat, adeo ex-
cæcari se passus fuit, vt seditionẽ machinari
tandem cœperit: sed ea detecta, capite teme-
rarij conatus pœnas luit. Eadem caussa Pyr-
rhum & Mustapham Bassas à Solimano ad
summam dignitatem euectos, pessum dedit.
Superiori quidem tempore, regnante Ach-
mate Tertio, non minus grauis æmulatio &
contentio inter Mahumetẽ purpuratum, &
Mustaphã Imperatoris fratrẽ, ac deinde inter
eundẽ Mustaphã & Cicalã exarsit: quẽ qui-
dẽ Cicala patroni erga fratrẽ æmulatione ac-
censi fauore, tandẽ perdidit & mori coegit.

Hos animorũ affectus ac perturbationes si
quis Christianorũ Regũ dextre foueat, mag-
nã profecto barbaris illis ad seditiones & ci-
uiles motus fenestrã patefecerit. Et licet eius-
modi conatus etiã iterati ad Turcicũ impe-
rium plane euertendũ satis viriũ non habeãt;
nõ tamen propterea desistendũ est, sed illud
cogitandũ, etiã maximarũ mutationũ tenuia
semper & fere contẽpta fuisse principia, quæ
tamen

Conatus insistendum.

tamen, vt ille de Fama ait, vires eundo, siue persistendo acquisiuerint; ideoque diligenter quæ ad dissensionem vel rebellionem augendam pertinent, comparanda & subministranda esse. Sic quidem ego arbitror, si cui minister occurrat cuius animus ambitione aut auaritia laboret, aut qui magno animo præditus, vlciscendæ iniuriæ libidine flagret, eum vbi semel, bis aut ter tentatus fuerit, tandem cupiditatibus suis locum daturum, & fidelitatem atque obedientiam proiecturum: inprimis vero, si certa ei firmi auxilij spes in propinquo ostendatur (quod semper faciendum est) & necessarius ad rem apparatus coram inspiciendus proponatur. Quod si eiusmodi conatus detecti fuerint, atque ita Turcarum tyrannus animaduerterit Christianos in corrumpendis ministrorum suorum animis multo iam esse diligentiores quam antehac fuerint: credibile omnino est, eumdem ex diffidétia quadam ministros plerosque male habiturum, & pauca eorum fidei permissurum: ex quo fieri non potest quin plurimæ suspiciones, iræ, indignationes tam inter herum & ministros, quam inter ministros & subditos nascituræ sint, nihilque cuiquam tutum futurum, vt fere fieri solet, quando nec dominus ministris, nec ministri subditis fidere audét. Sed omnium optatissimum fuerit, si dum maxime hi conatus vrgentur, tyranni filij

viuente

viuente patre de imperio armis inter se cõtendant: sic enim institutum nullo negocio, ac veluti sponte sua procedet.

Quum vero in eo qui tale quid aggressurus est, præter accuratum iudiciũ & promtum consilium, indefessa quoque diligentia & tolerantia requiratur: diligenter prouidendum est vt ad hoc munus idonei homines deligantur, qui scilicet iam dictis instructi sint tam ingenij quam corporis dotibus, oblata quauis occasione recte vtantur, ac omnia rerum gerendarum momenta capient. ante omnia vero pecuniæ parcendum non est, vt scilicet habeant donandi materiam: quum barbari illi auaritia & donorum cupiditate omnes gentes longe anteeant.

Iam vt ad modum vniuersalis concitãdæ seditionis veniamus, scire oportet, duorum generum esse Turcici imperij subditos. Alij enim Mahumetanas sequuntur superstitiones: sunt etiam alij qui Christianam profitentur religionem. Illi quidem ab omni motu abstinent; quum rerum nouandarum caussas nullas habeant, libero scilicet religionis suæ exercitio vtentes: hi vero, Christiani videlicet, etiamsi tentare quid velint, nõ possunt, viribus destituti & seruitutis fræno constricti. Quâ ergo ratione ad rebellionem impelli possunt? Equidem hac vna existimo, si armis prius omnique apparatu necessario

Turcæ subditi alij Mahumetani, alij Christiani.

cessario instructi, auxilia nostra in propinquo quasi oculis videant, eisque tutò fidere possint. Neque enim aliter spes est eos vel minimam daturos metus alicuius, aut animi male contenti significationem; quum non ignorent seuerissimas defectionis vel meditatæ vindicta iam humeris suis velut iucubare. Selimus quidem II. ex Ochialis consilio omnes Christianos maritimis locis habitantes, emigrare, & in mediterranea loca conferre se iussit, metuens scilicet, ne illi cum Christianorum classe, si quando appelleretur, se coniungerent, & à suo deficerent imperio: quod pæne acciderat Corone & Patris ab Andrea Auria captis. Et hoc quidem modo tyrannus ille rebus suis & imperio optime consuluit, & Christianis insignem tentandi aliquid contra ipsum ansam præcidit. Si tamen eueniat vt Christiani in mediterraneis locis degentes, auxilio iuuãdi sint; opera danda est vt id fiat ijs in locis vbi equitatus non est magnus vsus, quo tam copioso tamque agili instructus est Turcarum Imperator, vt breui momento omnes Christianorum aut subditorum suorum conatus facile reprimere, & in ipsa herba, quod dicitur, suffocare possit. Quare consultum fuerit per Epirum siue Albaniam aut alias montosas & accessu difficiles regiones irrumpere, vtpote in quibus equitatus parum efficere potest, cuius vsus potissimũ est in

est in campestribus & planis locis. Et hæc de Christianis sub Turcarum tyrannide viuentibus dicta sint: quibus omnibus & singulis voluntatem è seruitute se vindicandi minime deesse, persuasum mihi habeo: superest tantū vt facultates ijs & modi à Christianis Principibus suppeditentur.

Nunc dispiciamus quibus modis ipsi quoque Mahumetani ad rebellionem siue Ciuile bellum instigari possint. Ac primū ad ipsorum Religionem quod attinet, quum ea ex meris somnijs, nugis ac mendacijs tota contexta sit, mendacia autem & cum vero & secū ipsis pugnent: operæpretiū fuerit insigniora (quis enim omnia possit) in libellū colligere, eorumque absurditates vanissimas demonstrare: qua re illud efficietur vt iam ipsi quoque fluctuare, déque superstitionibus quibus hactenus tantum tribuerant, dubitare incipiant. Et hunc quidem libellum tam Illyrica siue Sclauonica, quam Arabica lingua conscribi velim: illum, vt per Europam; hunc, vt per Asiam distribuatur. Quoniam vero in ipso Turcico imperio libellos eiusmodi spargere difficile, imo impossibile ferme fuerit, quin rem illi statim suboleant, ac continuo quæ solent & possunt, adhibeāt remedia: è longinquo velut hæc admouēda est machina, & prima in Indijs pericula facienda sunt, ijs s. Asię & Arabię locis quę Lusitanorū ibi confinia attingūt, quib. frequens

cum

cum Christianis mercaturę & commerciorũ vsus intercedit. Et Turcę quidem frequentes admodum ad Mozambicum Africanæ oræ insulam, itemque ad Zofalam & Quiloam, quæ Asiæ Continentis pars sunt, confluere solent. Ijdem in Moluccis insulis, necnó Cochin, Goa, Diu, Ormus, & alijs ad Lusitanorum imperium pertinentibus locis frequentes negociantur. Nec abs re fuerit libellos eiusmodi, aut quidquid ad tam vanas & impias superstitiones arguendas facit, per vicina Paganorum siue Gentilium Principum imperia disseminare, vt sunt Calecutium, Cambaia, Zeylon insula, aliaque permulta: nec non Oranæ, Arzelæ, & alijs Africæ & Arabię locis, tam Portugalliæ quam Castiliæ regno subiectis, Turcarum vero imperio finitimis. Sed titulus libri ita formandus est, & veluti fuco tingendus, vt prima facie nihil minus quam quod est, præ se ferat, sed vt dulci quadam curiositate inspectoris animum ad legendum alliciat. In ipso vero libelli contextu prolixæ omnes & subtiles contra Mahumetanam Religionem disputationes vitandę sunt; sed Satyrico quodam siue salso, non tamen illepido risu præcipua commenta prosequenda atque confutanda sunt, ita tamen vt quæ ita dicuntur, in præcordia descendant, & scrupulum de ineptissimis Alcorani fabulis dubitandi non leuem inijciant. Et huiusmodi quidem libros si

Libellis cuiusmodi Mahumetana religio refellenda.

quon-

Turcicum imperium degentium manus inciderint, auide lectum iri, dubium non est. Quod si ijdem libellos eiusmodi in patriam secum, vel metu vel religione quadam inducti, asportare noluerint: eorum tamen quæ vel semel legerunt memoriam, & imagines semper secum circumferent, nec facere poterant quin aliquando inter familiares & amicos, de ijs tanquam rebus nouis & mirabilibus verba faciant: sicque quæ illi animo conclusi antea gestarunt, paullatim divulgabuntur, & alios ad accuratiorem inuestigationem accendent; immo libellos eiusmodi comparandi mira cupiditate implebunt. Hoc modo tandem fœdissimus ille absurdarum opinionum & vanissimarum fabularum cinnus, Alcoranus scilicet, ipsis Turcis sordere incipiet; quinetiam schismata inter ipsos & factiones acientur. Vt vero Christi Iesu Saluatoris & Domini nostri nomen eo in libello presertim in frótispicio, vsurpetur, vel Auctor se Christianum profiteatur, consultum mihi non videtur: quum enim Christianos cane peius & angue oderint; eiusmodi libellos profecto ne inspicere quidem dignabuntur, sed veluti nudis possit qui calcibus anguem, resilirent, & concepto præiudicio iam ante omnia damnabunt. Operæprecium ergo fuerit, titulum ac stilum libri ita formare, vt à pagano potius aut alteri sectæ addicto

quam Christiano, profectus videatur sic e-nim gentiles in India, Cambaia, Arabia, & Persia minus ab eius lectione abhorrebunt, & facilius Turcis vt & ipsi legant persuadebunt. Illud quoque nescio an è re fuerit, vt scilicet Illyrica lingua conscripto libello Ianitzaros siue prætorianos milites quis exhortetur, eisque ostendat quam indignis modis è Christianorum parentum sinu abrepti, & fœdis illis superstitionibus antequam malum à bono per ætatem internoscere possent, imbuti sint. Proinde recte facturos, si relicto impurissimo tyranno, ad parentes & cognatos obuijs vlnis eos exspectantes redeant; & tam se quam dulcissimam patriam ac parentes tristi seruitute liberent; quod factu ipsis perfacile sit, vtpote quibus Turcici imperij moles magna ex parte innitatur. Hæc omnia recte ac prudenter vsurpata dubium non est quin tyrannum cum adeo exasperatura, & diffidentiæ ac suspicionis impletura sint, vt omnibus fere intractabilem se sit præbiturus. Ex quo facile fiet vt qui iam sub ipsius seruitute gemunt populi, quamcumque tam graue iugum excutiendi inituri sint rationem; ac spem vitæ in posterum melius ac securius degendæ, lubenter arrepturi. Et Christianos quidem Principes suas omnes huc cogitationes, consilia & actiones conferre oportet, vt destructo imperio Turcico, veri Dei cognitionem

Ianitzaris artis ipsorũ & natales in memoriam reuocandi.

nitionem, ad multarum animarum ſalutem, & diuini nominis gloriam, amplificent ac propagent; non vero mutuis ſeipſos vulneribus laniare & conficere: quod (pro dolor) fieri hodie videmus, contra expreſſum Dei mandatum, proximi charitatem tam ſollicite ac ſerio nobis ſuper omnia commendantis.

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XXXVIII.

Quod est

TRACTATVS:

in quo turpis & pernitiosa quædam Macchiauelli confutatur opinio, quem affirmare non puduit, Principi, vtilitatis suæ caussa, licere promissa vel fidem datam fallere & reuocare: simulque demonstratur eos Principes qui consilijs eiusmodi seduci se patiuntur, æternam sibi inurere ignominiam ac dedecus, ac tandem in extremum præcipitare exitium.

Macchiauella qualem principi adscribat.

MACCHIAVELLVS inter alias virtutes quibus Principem ornatum esse vult, vehemẽter illam, vt ipse appellat, laudat prudentiam, vel potius, si vera rebus nomina dare velimus, perfidiam & periurium, quo Princeps pacta omnia & promissa ad suam interpretatur vtilitatem; monens, licere eidem sine vllo scrupulo vel morsu conscientiæ aut honestatis respectu, si egregia

ſi egregia amplificandi aut confirmandi imperij ſeſe offerat occaſio, fidem datam fallere, ac iuſiurandum violare: qua quidem ego nihil non dicam Principe, ſed quouis etiam homine indignius eſſe iudico: adeó vt qui vel cogitare tale quid auſit, merito eum pudere atque erubeſcere oporteat: tantum abeſt vt hæc præcepta Principum animis inſtillanda atque inculcanda putem, vtpote quorum præcipuum munus eſt, iuſtitiam incorrruptæ omnibus adminiſtrare. Et huiuſmodi quidem ſuaſoribus non facile aures præbebunt, niſi ij quorum animus ita corruptus malitiaque obcæcatus eſt, vt quid de ipſis poſteritas ſenſura ſit, non multum laborent. Illud quidem negari non poteſt, firmiſſimum Principatus fundamentum eſſe bonam ac honeſtam de Principis alicuius virtutibus tam ſubditorũ quam exterorum opinionem ac iudicium; vt ſcilicet bene de eo boni omnes ſentiant, & bene de eo loquantur. Iam quid de illius Principis reputatione aut fama dicemus, qui omnium ſermonibus tãquam perfidus & periurus differtur? quem omnes exſecrantur atque abominantur? Ait Macchiauellus, fucum deteſtabili ſuo errori quærens, id (fidem nempe violare) nonnumquam Principis rebus neceſſarium eſſe; quod occaſio ſemel amiſſa, non facile reuertatur. Audio, Macchiauelle: & de Occaſione verum eſſe non nego.

Principatus fundamentum quod.

Sed an non pune te inde concludes, licere Principi vtilitatatis suæ caussa fidem datam violare? Equidem omnia diuina & humana iura peruertunt, qui talia non dico, docent, sed etiã sentiunt. Hæc. n. sententia si locũ habeat, ferro & igne mox omnia vastari, adeoq; cœlũ terræ misceri videbimus. A qua quidẽ boni oẽs semper ab horruerũt: vt Franciscus I. Francorũ Rex quẽ quum Macchiauelli similes aliquot Consiliarij monuissent, vt Carolum V. Imperat. qui per Franciam in Belgium iter habebat, & Lutetiã, fidẽ regis sequutus, venerat, detineret, exhorruit optimus Princeps idque cõsilium vehementer est detestatus: quãuis ea detentione Imperatorem ad vtilissimas sibi conditiones adigere, adeoque quidquid in Italia Franciscus ad se suumque regnum pertinere contendebat, extorquere ei potuisset. Esto, vtile sit aliquando fidem datam fallere. An propterea fallemus? Vide quam tu disciplinam nobis afferas. Sic enim licebit quoque templa diripere, altaria expilare, opprimere innocentes, fures, sicarios, ac pessimorum hominum sentinam fouere. Neque enim vel horum vel aliorum scelerum vllum est quod non speciem aliquã habeat vtilitatis, quodque non prosit quodammodo ei qui illud committit, si nulla alia in re, saltim in explenda eius libidine & cupiditate. Quid? An tu tantam homicidarum, falsariorum, sacrilegorum, furum, & id genus

Francisci I. Francorum Regis fides.

genus hominum multitudinem futuram putas, si suis ipsi sceleribus nihil lucri facerent, aut non temporalem aliquam inde perciperent vtilitatem? Apage cum tua opinione, ô Principum pestis. Equidem sic existimo, Fidem seruare, proque tali ab omnibus haberi, diuinum quid esse, ac longe melius quam eandem datam fallere, etiamsi certissima vtilitatis spes affulgeat, quæ oculos facile alicui perstringere possit. Ac primum ij qui fidem etiam priuato datam violant, omnium suspiciones & odia incurrunt, sic vt etiam vulgo exsecrationi sint, ipsique ijsdem artibus ab alijs petantur, existimantibus nihil gratius Deo facere se posse quam si perfidum eiusmodi hominem illaqueent & fallant. Aliam quoque pœnam secum ipsa apportat perfidia: illam scilicet, quod tum etiam quando verum dicit, remque serio agit perfidus homo, neminem inuenit qui credere ipsi aut fidere velit. Quam vero tristes soleant esse, hanc Macchiauelli doctrinam amplectentium exitus, infinitis exemplis demonstrare possem. Vnum hoc loco tantum afferam, Borgiæ scilicet, famosi illius Valentini Ducis, in quo Macchiauellus omnes Principe vel Capitaneo dignas virtutes fuisse, dicit. Is igitur, quum abiecto omni religionis, honestatis, fidei & æquitatis respectu, totum se libidinibus dedisset, ac periurio, perfidia, proditionibus

Borgia Valentia Dux

 alijsque

alijſque ſceleribus diuina humanaque iura polluiſſet, imperium quidem quamdiu pater ipſius Alexander VI. Papa vixit, Pontificali magis patris auctoritate quam felici peſſimarum ipſius actionum ſucceſſu tutatus eſt. Quo mortuo, ſuo quidem ipſe malo ſtatim expertus eſt, quam parum firma illa ſint regna quę fraudibus & perfidia nituntur. Momento enim temporis à ſuis deſertus, amicis iuxta & inimicis exoſus, è tam alto dignitatis culmine ad ima detruſus, vitam tandem in ſumma miſeria finiuit, nec quidquam poſteris reliquit præter infelicem ſcelerum ſuorum memoriam. Sed dicet mihi aliquis, Turcas his artibus frequenter, erga vicinos præſertim, vſos eſſe, magna cum ipſorum vtilitate; eorum tamen imperium firmum eſſe & ſtabile. Illud quidem de Turcis non nego: ſed diuerſa eſt ratio. Quid quod etiam qui inter Turcicos Imperatores his artibus præcelluerunt, in magnis ſæpe verſati ſunt periculis? Amurathes II. Mahumetes II. Baiazethus II. Selimus II. ſingulares fuerunt ſimulandi & diſſimulandi, adeoque omnis fraudis & aſtutiæ artifices: at ſi rem recta ratione putare velimus, fatendum erit, quod ſua ipſis aſtutia & fraus nonnumquam bene ceſſerit, ignauia & diſcordia Chriſtianorum factum eſſe, nec eam proſperitatem periurio (quod Deus & homines ſemper oderunt) ſed iuſtæ

Turcicorum imperatorum fides & perfidia.

Dei

Dei peccata nostra sic punire volentis, indignationi adscribendam esse. Amurathes quidem II. fidesne an perfidia vtilior sit, tam in se quam in alijs expertus est. Quum enim Ladislaum Poloniæ Regem iniusto bello lacessiuisset, magna ab eo clade affectus pacem fecit, viresque suas contra Caramaniæ regulum conuertit. Interea Ladislaus, à Papa Eugenio persuasus barbaro & insolentissimo Christiani nominis hosti fidem non ita sollicite seruandam, bellum contra Amurathem renouauit, eo quidem rerum statu, vt Amurathes iam iam ab altissimo dignitatis gradu ad infima fortunæ ludibria reseruatus videretur. Sed quid fit? Cæditur Christianorum exercitus, in prœlio cadit Vladislaus alijque perfidio auctores ac suasores: vt Deus ipse quam displicet sibi omnis perfidia indicare voluisse videatur. Selimus II. quũ præter fidem datam bellum Venetis intulisset, illi de qua supra, Christianorum Principum Confederationi causam dedit, eorumq; arma in se concitauit: cuius profecto perfidiæ non dubito quin graues pœnas daturus fuerit, nisi Deus peccatis nostris offensus, Christianorum Principum animos ita obcęcasset, vt occasionem multo maius quid tentandi quam illa ad Naupactum victoria effectum fuerat, aut non viderint, aut inuidia quadam & æmulatione neglexerint. Solimanus, cui plerique scriptores inter omnes

Othomanicæ familiæ Imperatores sapientiæ ac prudentiæ patriam tribuunt (si modo vlla sapientia in eo esse potest, cuius animus vera Christianæ fidei luce collustratus non est) quum deducta Anno MDXXXVII. ad Hydrantum classe, intellexisset Mercurinum Catinarium vnà cum Castri ciuibus, præter fidem datam captiuos à suis detineri, statim solui eos iussit, addito hoc elogio: Non esse illum verum modum exteras gentes amore & beneuolentia sibi adiungendi, si quis fidem datã fallere aut promissa reuocare velit.

THESAVRI POLITICI APOTELESMA XXXIX.

Quod est

De re militari Lucæ Antonij Thomasoni.

DISSERTATIO.

ARs militaris in Milite consistit, & Armis. Ex quo sequitur ei qui horum vtroque melius instructus sit, facilem fore victoriam in eo quidem pugnę genere, vbi non numerus præualet, sed virtus. Bonum militem & bona Arma eligere, periti est Capitanei munus. Peritia hæc in ipso bello rerumque eò pertinentium vsu acquiritur; tum etiam frequenter cum peritis belli ducibus conferendo & disputando: quod Philopœmen fecisse dicitur. Romani certe his artibus tantum rei militaris cognitionem sibi compararunt, vt remotissimas etiam gẽtes ac populos suo subiecerint imperio, adeoque vniuerso fere terrarum Orbi imperarint. Hic idem Vsus siue experiẽtia docet quomodo ea quę in Consilio deliberata sunt, mature fieri debeat: commonstrat modum quomodo, id quod fit

Ars militaris in quib. consistat.

bene

bene fieri possit: hac duce siue magistra ordinantur & dicuntur exercitus, ponuntur castra, instruitur acies, conquiruntur commeatus, tuta redditur frumentatio, lignatio aquatio: omnia denique comparantur quæ ad victoriam consequendam, aut loca munita expugnanda faciunt: id quod Demetrio cognomento Poliorcetæ tantum attulit laudis quantum probri & damni Cambysi Persarum regi in ea quam cõtra Macrobios susceperat Expeditione.

Peritia quomodo acquiratur. Peritia acquiritur primum ex notitia quarundam regularum & præceptorum militarium: quibus instructi Spartani olim etiam sine duce bella non infeliciter gerebant; vt videre est è Xanthippi exemplo: qui Carthaginiensium exercitum toties à Romanis, ob disciplinæ & ordinis quem in re militari Romani seruabant, fusum ac fugatum, in integrum & pristinum statum restituit, ingenti edita hostium strage, & Regulo consule capto; hac vna potissimum ratione, quod ordines mutasset, & castra de monte in campestria transtulisset, prœlium, quoad opportuna se offerret occasio, declinando.

Peritiam quoque adfert, certe auget, frequens historiarum lectio: in qua potissimũ considerandæ sunt caussæ victoriæ vel cladis; item illud, melius ne fuerit hoc vel illo modo vniuersum bellum, aut partem eius administrare; vni prœlio de rerum summa decer-

decertare, an bellum ducere; aperta vi an strategemate huic astu hostem petere; nouas denique technas, noua instrumenta commi-nisci: quarum rerum peritia & vsus magnũ ad victoriam adferre solet momentum.

Eadem peritia siue scientia prudentiam auget, iudiciumque acuit, quibus futura lõge prospici hostium artes & consilia deprehendi, nostra vero occultari possunt, vnde fit vt in quo hæc sunt, nunquam illud vsurpet quod dicere sapientis esse negant: Non putaram; vitetque grauissima errata siue peccata, quæ, vt Cato dicere solebat, pœnã tergo secum ipsa apportant. Et hæc quidem virtus Iulio Cæsari Orbis monarchiam, Scipioni vero nominis gloriam peperit immortalem.

Optimum ergo Imperatorem siue Capitaneum censebimus, qui tam scientia siue peritia quam experientia & vsu instructus est, cui scilicet tam prouidere quam prouisa facere & exequi in promptu sit. Ad ceteras vero dotes animi versutia quoque siue calliditas necessaria est, sed ingenua, & ab omni perfidiæ suspicione aliena: nec non industria, cuius beneficio rationes & media comparet quibus consilia ad bonum finem perducantur. Eadem industria siue vigilantia cauebit ne vnquam improuiso opprimatur, sed semper quasi in procinctu stabit; illa cura ac sollicitudine occupatus, quomodo

bellum

bellum incipiendum ſit, quomodo traijciendā flumina, quomodo per loca aſpera & impedita ducendus exercitus, quomodo & quibus in locis caſtra ponenda, quomodo ordinandæ ac diſtribuendæ cohortes, quo ordine tum interdiu tum noctu iter faciundum, quomodo in hoſtem ducendum, quomodo & quando receptui canendum, quomodo impetus faciendus, quomodo excipiendus & repellendus; & vt paucis dicam, omnia dierum atque horarum etiam ad res gerendas momenta captabit, ea cautione vt neque nimia cunctatione occaſiones negligat, neque nimia celeritate corrumpat; illud vnice operam dant, vt robore, moribus, ſcientia militari, laborum tolerantia, agilitate aliiſque eiuſmodi virtutibus milites effingat ſui ſimiles. Quibus ex rebus Pompeius Magnus, Marius, Sertorius, & inter antiquiores Aulus Torquatus Latinus magnam laudem conſequuti ſunt: quorum hic quum pari numero, paribus armis, pari locorum ſitu, ac pari animorum ardore atque obſtinatione in certamen cum hoſte deſcendiſſet, ex re nata conſilium cepit; ac parua re ſiue occaſione (quanquam in bello nihil paruum videri debet, quum etiam quæ parua videntur, vel victoriam aliquando vel cladem adferant) ad victoriam vſus eſt. Loci enim ſitum contemplatus, vbi animaduertit equitum in loco impedito & ſalebroſo nullum eſſe vſum; ex equis eos deſcendere iuſſit, ſicque

Vide his de rebus Polybium.

que prostratis hostibus, egregiam victoriam reportauit: quæ sine dubio multo difficilior ei obuentura fuerat, si eadem peritia atq; dexteritas in aduersæ partis duce fuisset.

Quin assidua armorum exercitatione boni fiant milites, dubium non est. Ad hanc exercitationem vero illa veniũt, arma stringere, ordines seruare inq; ijs decurrere, impetum facere ac repellere, tam pari quam inferiori aut superiori loco, &c. Et profecto Artis militaris excellentia non tam ab ætate quam diligenti exercitatione atq; vsu depẽdet; quæ vna præcipuum est militaris sciẽtiæ siue peritiæ acquirendæ instrumentum. In ordinandis cohortib. illa obseruanda sunt vt nec nimis contrahantur nec nimis laxentur ordines; in acie vero tota instruenda, vt eius forma locis, temporibus, hostium consilijs, & necessitati aut occasioni aut hostium alendis erroribus accõmodetur: quas ad res vix aptus erit miles nisi cõtinua exercitatione subactus; sed aut ducis iussa nõ intelliget, aut minus dextre ea exsequetur.

Assidua armorum exercitatio mi liti necessaria.

Imperatorem ergo siue ducem & sub continuo exercitio habere militẽ, & de omnib. quæ in bello accidere solent, quantum eius fieri potest, quidque in singulis casib. faciundum sit, erudire oportet: qua scientia ille instructus, mirũ est, q uãtum ad egregia bello patranda facinora accendatur, quãque alacriter pericula omnia subeat, & imperatoris iussa capessat. In quo quidẽ genere Epaminãdas

apud

apud Græcos, Gracchus vero apud Romanos insigniter excelluerunt, magnamq; laudē sunt adepti. Imperatoris quoque est militarem disciplinā ac virtutem vel sinistro aliquo fato sine euentu elanguescentē, vel præfectorum negligentia aut diuturno ocio corruptam restituere ac restaurare: quorū illud Scipionem, Marium & Metellum; hoc vero Corbulonem in Asia fecisse legimus.

Arma quâlia vsurpanda. Circa Arma, magna quoque laus imperatori fuerit, suo ingenio vel nouum armaturę, siue grauioris siue leuioris, siue equestris siue pedestris, ac telorum genus comminisci aut quæ apud antiquos vsurpata fuerunt armorum genera, in vsum reuocare, qua etiam ipsa in re non exiguum ad victoriam momētum est positum. Luce enim clarius est, eum qui facile offendere, offendi vero difficulter possit, ferè sine suorum sanguine victoriam consequi posse. Armorum vero inuentioni etiānum aliquid posse, primæ ætatis testatur exemplum, qua homines saxis & fustibus primum inter se concertarunt; inde vero paullatim corpus contra ictus munire cœperūt, donec ea quæ hodie in vsu est tam armaturæ quā prælij instruēdi rationē inuenerunt: qua qui cōmodissimæ vti poterit, tā in seruandis quam in restituendis ordinibus, tam in inferendo quam excipiendo impetu, non difficilime, ceteris paribus, victoriam cōsequetur. Patrum quidem nostrorum ætate Heluetij hac

hac gloria omnibus fere nationibus antecelluerunt, quarum acie ad instar Macedonicæ phalangis instructa, & denso sarissarum horrente ordine, nihil firmius fuit, & tã ad vim faciẽdam quã excipiendã accommodatius: vnde illi tam in Italia quam Gallijs clarissimas sæpe victorias reportarunt.

Ad Sclopetorum vsum quod attinet, certum etiam est qui militem habeat hoc rerũ genere quãoptime exercitatum, multũ quoque ad victoriam habiturum adiumenti: siquidem hoc telorum genus, prçsertim quæ maiusculos globos iaculantur (*Moschettas* appellant; & siphones etiam his maiores aliquãdo excogitatum iri, credibile est) ad eminus feriendum hostem & perturbandos ordines aptissimum est: id quod in memoranda illa nauali ad Naupactũ pugna reipsa cõpertum fuit, in qua Sclopetorum tam maiorũ quam minorũ recte ac sciẽter adhibitus vsus, magnũ Christianis ad victoriam attulit momẽtum. Sed & ad armaturæ rationem multũ refert, quo aut quali in loco miles deprehendatur. In locis enim syluestribus & impeditis, vbi globũ facere, aut agmine hostẽ inuadere non licet, leuis armatura graui multum præstat. Quod Demosthenis Atheniẽsis exẽplo probatur, cuius exercitus graui armatura instructus à Lacedæmonijs & eorũ socijs leuiter armatis nullo fere negocio cæsus fuit ac dissipatus. Non multo post autem ijdẽ Lacedæ-

monij in Pilo insula eamdem ob caussam simili clade fuerunt affecti. Sic Germani olim duce Arminio, à Romanis eorumq; imperatore Germanico in syluis & impeditis locis, vbi longarum hastarum nullus erat vsus, deprehensi, ad internecionem fere cæsi fuerũt.

Locorum situs Imperatori noscendus.

Imperatorem ergo non generalem tãtum regionis in qua bellũ geritur, sed particularẽ etiã atq; accuratissimam omnium locorum eorumque situs notitiam habere oportet, vt sciat vbi hosti occurrendum, vbi ab eo declinandum, vbi prœlij copia cum loci prærogatiua, facienda, quà ducendus exercitus, vbi castra metanda, quæ loca præoccupãda, &c. Hæc.n. rectè vsurpata sæpenumero multo plus hosti quam quantacumque vis & militũ virtus nocẽt; & vna ratione pauci multis possunt resistere, numerum s. supplente loci cõmoditate & situ: cuius rei illustre exemplũ in Themistocle Atheniensium duce habemus, qui parua classe & exiguis copijs immensos Xerxis Persarum regis exercitus cohibuit, & tandẽ turpiter fugere coegit. Quemadmodũ vero ad victoriã ab hoste consequendã multum prodest accurata locorũ notitia & matura eorundẽ preoccupatio; ita quoque eadẽ ad nostrum saluandum & conseruandũ exercitum longe est vtilissima. Hac. n. ratione vicinorum securitati prospici, exercitus in tuta reduci, auxilijsque iuuari; hostium vero itinera impediri, conatusque intercipi facile possunt: qui quidẽ longè melior & tutior q̃

ferro

ferro & vi, vincendi hostis est modus. Hac arte vsus Iulius Cæsar Afranium & Petreium intercluso ad suos reditu & frumentatione, ad deditionē coegit: & Publius Decius Romanorum exercitum à Samnitibus vndique inclusum, cum immortali nominis sui gloria, locorum peritia fretus, à certissimo quod ipsis imminebat exitio liberauit.

His ergo rebus, Armis s. & Milite; hisque dotibus, scientia videlicet & vsu, instructus imperator, magno animo contra hostē tanquā ad certā victoriā proficisci poterit. Nam vt vis consilij expers, vt Poeta ait, mole ruit sua, cōsilium vero sine viribus inutile est: ita vbi hæc duo cōiuncta fuerint & copulata, merito victoria sperari pōt: neque multum timenda Fortuna est vbi Ratio prædominatur. Romani quidem his vsi artibus, prudentia inquam & disciplina rei militaris, è tenuissimis principijs ad tam altum dignitatis culmen imperium suum prouexerunt.

Quapropter vehementer errant illi Principes, qui milite domestico parum instructi, spem suā omnem vel in locis munitis, vel in peregrino ponunt milite, atque ita bellum ducere potius quam gerere student. Etenim illa tā in munitionibus quā peregrino collocata milite spes, incerta admodum est, & fallax, nisi Dei extraordinario auxilio fulciatur. Et credibile est eum qui acie bene disposita in cāpo hostem vincere sciat, eundē fossis repletis, deiectis muris, & tormentorum

vi disturbatis, aut suffossis cuniculariorum arte propugnaculis locum quemcumque etiam munitissimum in suam potestatem non difficilime redigere posse.

Qui ad militiam, deligendi. Quum igitur tanti sit bene exercitatum domesticum habere militem, adeo vt eo instructus Princeps & hostibus terrori sit, & tã sibi quam suis ad omnes quamuis subitos casus certissimum auxilium afferre possit: operæ precium sane fuerit è subditis tantum quantus ad tuendam regionem satis est, robustorũ atq; agiliũ virorũ numerũ deligere, qui in Armis cotinuo exerceantur, & tam ad disciplinam militarem quam quosuis belli casus, ac labores condocefiant. At plerique hodie Principes seipsos decipiunt, vano illo nomine, quod potentia & armis instructi sint, contenti; quum non in armis, non in muris, sed in viris præcipua potentiæ pars sita sit. Non minus grauis eorum est error, qui optimis stipendijs non paucos exercendæ militiæ magistros conductos alunt. At quos vel quales? Eos scilicet qui non tam vt arma quam vt cutis ipsis niteat, laborant; & quorum omnis cura in re potius facienda quam instruendo milite consumitur. Architectorum quoque & fabrorum operam hodie nimis magni æstimari nimioque conduci videmus, qui tamen ad patrandum prœlium nec consilio nec manu quidquam prosunt. Eorum tamen professionem quia pluris æstimari ac conduci vident milites,

certatim quisque relicta militari arte & disciplina, Architecturæ studijs incumbunt: cuius quidẽ bonos omnes milites quodãmodo peritos esse oportet, nec tamen præcipuã sui muneris partẽ, quæ est, omnia quæ militaris fert disciplina tam in acie quam extra aciem, recte ac intrepide obire, desertam pati.

Vtrum Scientia an vsus in imperatore magis requiratur.

Vtrum vero Scientia siue litteraria cognitio, an vèro vsus atque Experientia imperatori ad res bello præclare gerẽdas vtilior sit, dubitari adhuc quidẽ video: sed illud quod Poeta quispiam de Natura & Arte dixit, heic quoq; locum habere existimo, vnum scilicet alterius opem poscere, & vtrumq; inter se amice coniurare. Nuda enim & lectione tantum acquisita cognitio sine Vsu ad exsequẽda deliberata parum prodest; & Vsus nullis regulis & exemplis suffultus vacillat: quorũ gnari casibus fortuitis facilius occurrere ac remedia afferre, ac plures etiam ac tutiores hostibus nocendi modos comminisci possũt. Quamuis autem vulgus ei plus tribuat qui multis ipse bellis interfuit quam qui multa legit: quum tamẽ, vt de sua professione dixit Hippocrates, Ars longa sit, vita breuis, ac nostris temporibus raro iustis prœlijs decertetur, præterquam quod artis militaris ob copiarum & ordinum differentias & ob situs & locorum diuersitatem, infinita quædam est varietas, tanta scilicet quantę reipsa atque vsu discendæ atq; apprehendendæ vnius aut etiã plurium hominum vita non sufficit: necesse

sane est vt ad antiqua & è lectione vel auditu hausta exempla recurramus (quemadmodũ in pestilentibus morbis Medici solent) vt ad omnia belli subita paratũ semper habeamus remedium; quod non difficile ei fuerit qui infinitos quasi belli casus iam ante è lectione & historiarũ notitia animo præceperit atq;, vt Virgilius loquitur, peregerit. Ex quibus omnibus manifestum est, historiarum lectionem, & in vniuersum libris quibusdam cõprehensorum militarium præceptorum notitiã (vnde scientia siue peritia militaris, nascitur) ad id quod belli caput ac pręcipuus finis est, secundum scilicet prœlij euẽtum vel victoriam plurimum conducere: cuius quidem victoriæ tantus est fructus ac tantũ momentum, vt cetera omnia in quibus militare studium occupatur, ad hunc vnum finẽ debeãt referri, ac sine hac nihil prosint. Et hęc quidem breuiter hic perstringere volui, vt nostros homines ad rei militaris studium inflammarem, & veram ac compendiariã eius discendæ commonstrarem rationem: quæ est, vt expensis probe omnibus quas legendo cognouimus, tam terrestribus quam naualibus pugnis, earumq; successibus, nec nõ obsidionibus & locorũ expugnationibus, ante omnia vero rei cuiusque causis, & alijs rebus quas in bello obseruare necesse est, vt sunt vires, arma, locorum situs, ordines ac varij vel à fortuna oblati, vel sapientia & industria,

Historiarũ cognitio.

vel

vel vi ac viribus acquisiti, aut qui alio quocumq; modo contigerunt euentus, generalē quamdam omnium rerum ad bellum pertinentium notitiam nobis comparemus: cui si deinde Vsus cōiungatur, breui etiā è gregario milite bonus imperator sit euasurus.

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XXXX.

Quod est

Iacobi Pantogiæ S. I. de amplißimo Sinarum regno

RELATIO.

AMplissimum Sinarum regnū, vt ipsi Sinæ delineant, est forma propemodum quadrata. Extēditur à septemtrione in meridiem à prouincia Cantonia, vbi maxime depressum est: quæ prouincia Zonę torridę supposita non plus septemdecim aut octodecim graduum altitudinem habet; quà vero regni altitudo maxima est, quadraginta duobus gradibus polus eleuatur. A Cantone qui iter faciunt, numerant milliaria Italica amplius sexcenta; quæ rectà proficiscentibus sunt quadringēta & quinquaginta. Ab ortu habet Loxam quæ illi continens est, Iaponem & Oceanum, per quē ad Sinas è Peruana & noua Hispania Malacam iter est. Ab *Sinarum situs.*

occidẽte ijs minutis regnis quæ inter Bengalam & Mogoris imperium ac Persidem iacẽt, terminatur. A meridie insulas Philippinas, Moluccas & alias spectat, & ab aliqua Orientis parte Malacam, Sionẽ & alias regiones his finitimas. A septẽtrione ijs populis attingitur quos vulgo Tartaros nominamus, qui cũ Sinis assiduo bellũ gesserunt, & semel vniuersã eorum regionem imperio suo adiunxerunt.

Situm est hoc regnum idonea admodum Orbis plaga, nam præter ea quibus ipsum abundat, ab India ceterisq; regionibus tã prope abest, vt procliue sit ea quibus eget, aliunde conuehere. Sed antequam ad alia progrediar, postquam situs & altitudinis mentionẽ feci, quum vt harum rerum curiosis gratum faciam, tum vt tabulas Geographicas etiã nuper editas corrigam, duos minime leues earum errores aperiam. Vnus est quod Sinarum regionem tertia parte maiorem vero faciunt, quandoquidem vrbi Pachino tribuũt quinquaginta gradus, quũ nos, qui accurate facto astrolabio eius altitudinem semel & iterum mensi sumus, non nisi quadraginta deprehẽderimus. Iam fines regni quum non omnino tridui itinere distẽt ab hac vrbe, non possunt eam plus duobus gradibus excellere. atq; ita magni illi muri, per totam Europã fama celebratissimi, quadraginta duos gradus sibi vindicant, quæ maxima est huius regni altitudo. Alter error est, ꝙ tabulæ nostræ aliud quoddã regnum Sinis adiungunt, quod Ca-

taium appellant: quum reipsa illud sit ipsum Sinarum regnum; & vrbs Cambalu quã eius caput faciunt, sit hoc ipsum Pachinum, vbi iam viuimus. Id adeo manifeste nuper didicimus, quum è Mogoris prouincijs Narratio quędam sparsa in vulgus de Cataij opibus ad nos allata esset, quæ tam belle in Sinas quadrabat vt dubitare cœperimus, an forte nihil hoc regnum ab illo differret.

Postquam Pachinum attigimus, duo nauigiorum agmina offẽdimus, alterum Maurorum qui è paruis illis regnis, quæ exiguo tractu à Sinis diuiduntur; alterum Turcarũ, qui tumentibus turbinatisq; pileis tecti, è Mogoris imperio aduenerant, & magni Ismaelis Sophi: sic.n. vulgo non ab illis modo, sed ab Hispanis etiã, Italis, Venetis, Indis, Lusitanis vocatur; quorum illi populorum famã auditu tantum acceperant. Solemne est his Turcis atq; Mauris quinto quoq, anno terrestri itinere in Sinas proficisci, in speciẽ quidẽ quasi ab suo ad Sinarum regẽ obsequij & vectigalis soluendi caussa sint missi, confictis ad id litteris, quibus nullo negocio os Sinis sublinunt, qui libẽter sibi persuaderi patiuntur reges omnes suo regi parere: reuera autẽ lucrum tantum & mercimoniorum compẽdia sequuntur. nam etsi complures nõ ignorent, falsã esse illã tributi pensitationẽ: accipiuntur tamen ab illis beneuole, & quæstũ minime pœnitendum faciunt. Rex.n. ab eo die quo regnum intrant, vsq; ad eum quo indidẽ

 emigrant

emigrāt,suis eos impensis benigne alit,& discedentium arcas,quæ vno anno mille numeratę sunt,gratis euehi imperat. Magnā etiam mercium partē postquam iusto ab eis precio coemit,Legatiuo præterea abeuntes ornat. Caput mercium quas aduehunt, est quoddā lapidis genus, candidi sed obscuri, & prope cinerei,quē Iaspidem vocāt.Videndum sitne is qui in sacris litteris toties Lapis preciosus appellatur. Eruitur non frustatim è lapicidinis excisus, sed integer, ad instar silicum qui in imis fluminibus iacēt. Apud Sinas magno in precio est,atq; inprimis aqud Regē, quod ad multarum rerū ornatum faciat. Præstantioris libra octoginta, deterioris quinquaginta aut sexaginta ducatis vęnit,iccirco plurimum eius institores siuę propolæ lucrātur. Vidi in Europa lapides de hoc genere,sed alius coloris quam sunt hi qui tanti ab Sinis æstimantur.

Hi ergo tales vbi in regiam venerint,in domum huic rei diffinitā, è vestigio compacti, nusquam abire permittuntur. Inter alia quæ ex his hominibus sciscitati sumus,fuit etiam illud de Cataio, quo nomine ab illis hoc Sinarum regnum appellaretur. Responderunt, Cataium,neq; in vlla Mogoris aut Persarum regione aliud nomen obtinere: neq; aliud se regnum nouisse quod ita nuncupetur. Quærentibus deinde,quo nomine vocarent hanc vrbem Pachinum? responderunt Cambalu; quam ciuitatem,vt ante memoraui, vulgatæ

tabulæ

tabulæ primariam Cataij esse statuunt. Quare nullus hac de re reliquus videtur ambigẽdi locus, præsertim quod illis terris hic cõfines sumus, quas si nullum in tabulis vitiũ esset, Cataium esse oportet. At certum est, prę- ter paucos quosdã, eosq; viles, Mauros & Ethnicos, nullam ibi eiusmodi prouinciã aut vrbem reperiri. Didicimus ab eisdẽ quid sit Moscus, cuius nonnihil secum attulerant: esse nimirum stomachum animantis, quæ fele maior in regione Sinis finitima, ab eorum tamẽ ditione exemta, locis syluestribus gignitur & pascitur, atq; vnius stomachi gratia perimitur atq; expetitur. Antequam ex Hispania soluerem forte in librum typis excusum incidi, quo ab homine, vanis, credo, auctoribus decepto, de Mosco deq; alijs rebus sexcenta, quæ hisce oculis pôstea deprehendi, mendacia erant prodita; etsi his vera nõ pauca iungerentur. Aduexerant ijdem non exiguum præstantis Rhabarbari numerũ, cuius aliquantum, delectu pro nostro arbitrio facto, denis in singulas libras denarijs, emimus. Est autem herba syluestris, rapo nõ absimilis; cuius effertos stare campos memorabant.

Qui Sinarum fines accolunt, narrant immẽsas illas arenas quas vulgo Cosmographi in Arabia collocãt, Sinas à Mogoribus siue Tartaris vicinisq; regnis disterminare. Quam esse causam oportet, cur Reges illi, quibus neq; Sinarum opes neque imbecillitas & mollities ignotæ sunt, in tanta vicinitate regionum

eos bello tentare non audeant. nempe diffi-cile nimiopere iudicant, per tam ingentẽ are-narum vastitatem exercitum traducere.

Partiuntur Sinæ hoc regnum in tredecim proũincias & duas regias, quæ duabus prouincijs facile se æquãt. Vnaquælibet prouincia suam habet metropolim & ciuitas suum territorium certo vicorum numero definitum. Ex Sinarum libris liquido discere licet, quot vrbes, castellaq́, loca alia toto regno sint, quot in horum quolibet ædes, quantum in singulis hominum, quantũ fructuum ex singulis agris capiatur, quantũ vectigal ex singulis regi pendatur, & alia eiusmodi. Equidem toto eo itinere quod cõfecimus, tot vrbes à nobis, tot castella, tot oppida visa sunt, vt qui in rem præsentem non venerit, capere huius regionis amplitudinẽ non possit. Neque enim facile adduceris vt credas, alteram, tertiam interdum horã continenter ad alicuius vrbis mœnia secundum fluminis ripam nauigando consumi. Vrbem vero ipsam perpetuo tractu multa oppida & villæ breui interuallo sic consequuntur, nũquam vt in vllius conspectu non sit alia. atq; huiusmodi totum Pachinum vsque est iter. Castella quæ voco sunt etiam magna frequẽtia, mercatu celebria. Nã etsi hoc nomen eis tribuimus quod apud nos angustis fere locis conuenit; Sinæ tamen ampla & exigua nullo habent discrimine. atque ita castella quædã sunt maiora, quædã minora, quæ nobis sunt

villæ.

villæ. Vrbes omnes atque oppida bene altis mœnibus sunt cincta. verum quoniam in alium locum hæc mihi percensenda seruaui, de Nanchino duntaxat pauca disseram.

Iacet hæc vrbs sub graduum triginta duorum & dimidiati altitudine. Octo decemve leucis abest à mari, ad quod per flumen vehi licet, quod late patenti ostio erumpit. Triplici muro lateritio, excelso & eleganti ambitur. Portas habet amplas, & visendi operis, quæ mature ante primas tenebras claudūtur. Fuit hæc vrbs annis ab hinc ducentis Regum sedes: quapropter eximie est ornata. Plateas habet duarū leucarum aut duarum & semis longas, item latas, & vbique vel silicibus, vel lapidibus quadratis prægrandibus, aut certe lateribus stratas. In eius medio ingentia Regum Palatia visuntur. Huius vrbis ambitum sic ostendere solent Sinæ, quum duo equites albente cœlo eadem porta egressi, diuersis viis totum diem secundum muros equitantes perpetuo, vesperi ad portam ei qua exierant oppositam siue contrariam conuenturos dicunt. Hoc certe liquet, eius circuitum minimum vndecim aut duodecim leucas complecti; & quantum ex aspectu conijci licet, ducenta domorum millia. Nobis quidē qui in ea aliquamdiu morati sumus, vno consensu visum est, tum hanc tum Pachinum, pro se vtramuis, tanto aut etiam maiori populi numero abundare, quatuor de illis eximijs & celeberrimis Europæ vrbibus, cuiusmodi est

Manchinum

Roma

Roma, Vlyßippo, Lutetia, & aliȩ frequentiores. quippe quum tanta ſit eius vaſtitas, non vno neque decem tantum vicis, ſed maxima ſui parte totum diem crebro hominum concurſu celebratur. Accedit quod ab ea nō paucæ vrbes vnius aut alterius diei duntaxat itinere abſunt, & amplitudine & celebritate mercatus inſignes. Eminent inter hos Hancheum & Sucheum. Ac Sucheum quidē grāde eſt inprimis, & Venetiarum inſtar plateas partim aqua affluentes, partim terreſtres habet. Sinæ quo eius terræ benignitatem, copias & vilem omnium quȩque inibi giguuntur quæque importantur annonam ſignificent, has duas vrbes Paradiſum nominant. Sucheum vero tantopere tum à reliquo hominum genere, tum vero à mercatoribus frequentatur, vt in libro typis edito, quo totius regni vectigalia conſcripta ſunt, proditum ſit, hāc vnam vrbem pendere regi ex argento, auro, oriza, ſerico & alijs quibus circūfluit, quotannis centies & vicies centena millia, id eſt, duodecim milliones, ſiue centum & viginti vaſa auri, vt hodie vulgo loquuntur: quantum è multis prouincijs longo interuallo tēporis non cogitur. Hoc quidem incredibile videri poſſet; ſed præterquā ꝙ ipſimet hoc ſcribunt, qui has vrbes norit, mirari deſinet.

Deſunt tamen illis quæ vrbibus magnificentiam & elegantiā præcipuam conciliant: qualia ſunt templa, & ſumptuoſa ædificia. Carent enim eorum ædes externo ſplēdore &

ſuuli-

ſublimibus veſtibulis, quibus noſtrates ornantur. Itaque qui Europæorum habitationes viderit, neque architectoriæ artis plane expers fuerit, plurimũ hic deſiderabit. Domus ſunt humiles, carent porticib. xyſtis, feneſtris, proſpectu in publicum: impluuium duntaxat habent non contemnendum, & intima ædium politiora, & Clarano, vt Luſitani vocant, picta atque illuſtrata.

Sunt vero adeo inter ſe tum ingenijs tum operibus ſimiles Sinæ, vt qui vnam aliquam eorum vrbem præcipuam viderit, eum non ſit neceſſe luſtrare ceteras. Nam etſi his duabus aliȩ de magnitudine concedunt, proportione tamen eas, hominum copia, multitudine mercimoniorum, atque ædificiorum genere ſequuntur.

Pleraq; omnis huius regni pars omnium quæ ad vitæ humanæ vſum pertinent apprime eſt ferax. Cuius rei fere cauſa quod fluuiis vndiq; & frequentibus alluitur & magnis, qui non modo piſcium copiam, opportunitatemq; ducendarum ad irrigãda arua (quod Sinis valde vſitatum eſt) incilium, ſed ſingularem etiã prouincijs omnibus inter ſe agendi contrahendiq; facultatẽ præbent. Ideo & mercatores opibus, & vrbes ſingulȩ omnibus quæ toto regno vſquã gignuntur, affluunt.

Quum Macao Pachinũ peteremus, quę ſexcẽtarũ leucarũ eſt interuallũ, nunq iã niſi vnius diei iter, cõpendij gratia, terra fecimus, ac fere flumine vecti ſumus, quo me maius nullibi

vidiſſe

vidiſſe memini: quapropter non immerito Mare paruum à Sinis dicitur: nam quum in eo centum à mari leucis naue aſcendiſſem, affatim tamen eo loco marinorum piſcium, vt thynnorum, & aliorum erat reperire.

Vidi ad huius fluuij ripam quoſdam ad piſcationem auibus vtentes anſeris fere magnitudine, roſtro longo ad inſtar corui, ſed ſuperiori parte valde aduuco. Has Sinæ piſcani condocefaciũt: & quia collo ſunt oblõgo, ſic illud reuinciunt, vt piſces captos penitus deglutire nequeant; ſin aliqui ob paruitatem in ſtomachum deſcenderint, reductos eiectare compellunt. Cum grandioribus piſcibus tamdiu roſtro depugnant, dum arreptos eò attrahant vt à piſcatore cerni poſſint, qui reticulo ad perticam alligato inferne ſubit, & prædam aufert. Hac arte vidimus interdum piſces vnius aut ſeſquilibræ capi. Aiunt capi etiam maiores: ac poſteaquã adeo certus & quæſtuoſus eſt hic piſcatus, imperatum eſſe ab rege in ſingula coruorum huius generis capita tributum.

In aliud deinde nihilo anguſtius flumen delati ſumus, ſed luto quam aquæ ſimilius, propterea quod neſcio quomodo tot iam annos nunquam non terra eius aquis miſcetur, quas affuſo alumine defæcant; ceteroqui nõ ſunt potabiles.

Extra hos duos omnes ceteri hominum induſtria ſunt facti, quo ex vno oppido in aliud nauigari poſſit. Multitudo certe nauiũ, quas

quas toto itinere Pachinum vſque obuias habuimus, inter ea merito cenſeri debet quę in hoc regno præclara memorantur. Duo ſunt enim in qualibet vrbe nauigiorum genera, aliud comparatum ad nauigandum, aliud ad habitandum, atque ex his nonnulla cum ipſis ædibus pulchritudine & commoditate certant, alia rudia & parum venuſta à pauperiobus habitantur, qui eò gallinas & ſues conducunt, ſuumque ſibi ſumtum, vt ille ait, ſiue quæſtum exercent.

Memini nos quum Nanchinum prima luce ingrederemur, quingentas & amplius naues ante noſtram videre, quæ panſis velis pro tanta vrbe anona onuſtæ, eadem nobiſcum hora inuehebantur. Neque vnquam hic vltro citroq; comeantium toto die concurſus deficit. Mandarinorum (id eſt, prę fectorum) naues regijs impenſis ædificatę, vel Europæos noſtros venuſtate ſua ducerent. adeo nihil illis fieri poſſe videtur elegantius. Pleræque omnes tympanotribas habent & tubicines, qui vel dum vrbem aliquam prætereunt, vel dum in alias incidunt naues, ſignum dant, quo illis omnes decedant. Longitudine æquiparant triremes, ſed altero tanto ſunt latiores, aut aliquanto amplius, longe vero altiores. Nam ſuper aquam plus octo palmis eminent, atque iccirco plurimum vehunt. Longinquiores vrbes quæ per difficultates viarum tributa Pachinum conuehere nequeunt, pro ijs certum argenti numerum,

aliæ vnde promtu est comeatus, oryzam fere dependunt. Huic rei singulæ vrbes suas habent naues oneraria, amplas & munitas, quæ cõfertim Mandarino aliquo duce, ad diẽ soluunt. Ferunt in vicina Nanchino regione earum esse admodum dena millia. At non omnes quotannis hunc cursum conficiunt, sed in fertiliores annos nonnullas supernumerarias habent, neque omnes ad vnum annum proxime sequentem reuertuntur. De earum numero nolim equidem statuere, hoc scio iter omne Nanchino Pachinum, perpetuum quemdam vicum nobis esse visum vndique nauibus prætextum, inter quas facile ferebãtur, eò quod tarde incedebant, maxime deficiente, vt in amne minime natiuo, sæpenumero aqua: nisi quod obiectacula portum in modum habẽt, quæ adduci & demitti possunt, quibus quum profluẽtem tres, quatuor aut sex horas inhibuerint, ijs deinde apertis cursum nauibus facilem pręstant, dum ad alium similẽ locum vel cataractã perueniunt.

Præter has quæ annonam auehunt, alię itẽ multæ sunt quæ quotannis res quasdam raras & delicatas ex agro Nanchinẽsi summissas, regi eiusque familiæ conuehunt. Harum agmina interdum duodenis constant, quas veste serica ad ornatum regiæ domus onerãt: aliæ multas & exquisitas ciborum delicias aduehunt. Sunt & alia nauigia laxa & venusta quibus, præter sericum, ea ferebantur quæ in exsequialibus sacrificijs & idolorum

sacris

facris adoleri solent. Priuatorum naues mille esse perhibentur. Regijs Eunuchi præsunt. Nanchino vsque in mediam regiã invehuntur Per hos omnes fluuios, cessante vento, nautæ sex aut septem, quantumuis onustam nauim facile & quiete pertrahunt.

Porro incredibilis est in hac regione ea rum rerum copia quæ ad hominum vitã degendam necessariæ videntur: atque hæc vnã, si quæ alia, Sinarum natio aliarum gentium commercijs carere potest. Siquidem quæ aliunde importantur, neque sunt eiusmodi, vt sine ijs viui nequeat, neque omnibus in vsu sunt. quippe nihil fere ab exteris expetunt magnopére, præter argentum: quum contra quæ hinc exportantur, & multa sint, & pervtilia, vt sericum, aurum, moscus, sericæ vestes, argilla ex qua vasa fictilia fiunt quę Porcellana vocantur, gossypium, ferrum elaboratum, aurichalcum, argentum viuum, saccharum, mel, cera, casia, opera è ligno aurata, vt lecticæ, plutei, arcæ, & similia alia innumera: quę quũ plenis hinc nauibus asportentur in Iaponem, Indiam, Manilam, & aliò, decies tamen plura suppeterent, si pro rerum facultate esset emtorum copia. *Vbertas Sinarum regiones.*

Longe apud Sinas viliori quã in Europa passim væneunt. Libra sacchari ęstimatur x. aut x I. quattrinis, & quandoque sex: sin aceruatim compares, centum librę nouem aut x. Iulijs (*est Italicæ monetæ genus*) cõstãt. In regia vero vrbe vbi omnia cariora sunt, libra sex

baiocis aut vno Carolino æstimatur. Ceræ & magna copia est & præstantia. eius libra Pachini vno Iulio & quadrante paratur: libræ autem nostratibus sunt maiores, quippe quarum pondus sit duarum & viginti vnciarum. Mellis præterea ingens est copia, ac propterea mira vilitas: adhæc æris & aurichalci, cuius quantumuis expoliti libra non pluris quã vno Iulio & quadrãte vænundatur. Centum acus sex quatrinis comparantur, & minoris quum plusculas poposceris. Interea tamẽ exteros qui cum Sinis contrahunt, ad rem attẽtos esse oportet, quoniã occasionẽ nullã augendi rerum precij sibi elabi facile patiuntur.

Alimentorum non minor copia est, vt bubulæ, veruecinę, ouillæ, caprinæ, atque inprimis suillę, qua mãgnã partem vescuntur. neq; desunt cerui & lepores, quos falconibus venãtur, qui tum alibi frequentes inueniuntur, nostratibus pares, & Pachini, in qua vrbe, vti diximus, maior est annonæ caritas, singuli quinis tantum aut septenis baiocis æstimantur. Iam vero gallinarum, anserum, anatum, aliarumq; auium, quę venatu capiuntur, tantum suppetit, quantum optare possis. Deniq; ceteræ omnis carnis par est vilitas. Vrbẽ quãdam transijmus ex amplioribus, in qua libra carnis gallinaceę tanti vęnibat quanti bubulę aut veruecinę, hoc est, sex quattrinis: & Nanchini quantumuis in ea vrbe sit regiũ Consilium, dimidio grosso. Piscium eadem fere est indicatura & precium, aut etiam leuius, quod vrbs

vrbs ad amnem iacet. Vidimus piscē decem librarum emi vnico Iulio, nosq; ipsi libram truttarum grandium vno baioco; & decem, duodecim, sedecim, atq; interdum duodeviginti oua vno Condureṅ, qui aliquanto amplius est quā baiocus, obsonauimus. Fructuū eadem prope ratio. Certe quum proximum hoc nostrum iter faceremus, iamq; Armeniaca quæ ibi optimæ notæ sunt maturescerēt, ex ijs ducenta tribus baiocis vendi vidimus.

Delectantur Sinæ pleriq; omnes herbis ac leguminibus tum sale conditis tum recentibus, à nullo tamen lautiore conuiuio & epulo carnem aut piscē abesse volunt. Abundāt & nucibus iuglandibus, castaneis, auellanis. pineas rariores reperias. Ficus habent absimiles quidem nostris, sed tamen nihilo pauciores aut deteriores, ac fortasse etiā meliores. Hæc omnia fert quidē hæc regio, at non quęuis eius prouincia: verum quod vni deest, id sumit ab alia. Victitant vt plurimum Sinæ oryza sola aqua decocta, quę quidē obsonij insolentia aduenis initio molesta esse solet. Bis fere quotannis fructus capiuntur, quibusdā locis ter: estq; ad id terra perquam apposita, quū immensa planitie, tum crebris ad irrigationē incilibus & fossis, quæ orizæ cū primis prosunt, solū assiduis aquis perfusūpostulāti.

Postquam Cantonem ingressi Pachinū iter intendimus, pauci nobis visi montes, paucissimi cis Nanchinum: planities vero interdum centum leucarū, vt visus in ea deficeret. Vidi

etiam frumenti plurimũ, è quo placētas nullo admisto fermento, vapore bullientis aquę, pinsunt: quæ quum crusta careant, edentulis senibus sunt accommodatæ. In hac rerũ omniũ affluentia, præter orizã, multa rerum genera non suppeterent omnibus, si tanti cibi quanti nostrates, Sinæ essent. Edunt fere ter quotidie, primo mane, deinde altera hora à meridie, tertio primis tenebris, oppidò semper frugaliter. Præter locupletiores Mandarinos, ceteri etiam qui re sunt minime tenui, carne & pisce fere abstinent, leguminibus salitis & herbis quæ prope nihilo constant, cōtenti. Caput victus est oryza aut miliũ, quib. famē pellunt. Sunt equi, muli, aliaq; iumēta, quorum eos carnibus vesci, etsi nō sub locupletibus auctoribus accepi. Vino vtuntur ex oryza factitio, quare in hoc quidē deteriori sunt conditione quam nostrates siue vinum seu aquam bibunt, calidum bibunt. Tã sunt inter edendũ elegantes, nihil vt manibus cōtingant. quamobrē neq; mappis neq; mantilibus vtuntur. Perpetuus calidæ potionis vsus & abstinentia à crudis fructibus, quorum non ita vt nostrates, sunt appetentes, multis eos morbis liberat. itaque plerique omnes valent. Carent oliuis, & tamē oleo abundãt, quod præstantissimum ex herba quadam cōficiunt, quam Hispani *Allegriam*, Lusitani *Gergelinum* vocant. Nolim illud quidē exæquare nostro, fateor tamen nihil me in illo desiderare, facileq; nostrati carere, facilius vero Si-

næ, qui

næ, qui cuiusuis alius esum & odorem fasti-
diunt, ꝙ experti ipsi sumus, oblato modico
de nostro quod attuleramus. quinetiā suum
oleū odoriferum nuncupant, Tantā in natu-
ra consuetudo vim habet. Vt Sinæ ipsi, sic
& fructus diuersarū prouinciarum inter se
differunt. quare frustra quæras in frigidiori-
bus regni partibus qui in Cantone nascūtur.
Sunt ibi mala Medica, dulcedine incredibili,
quæ vnà cū cortice esitantur, neq; ijs meliora
adhuc vsquā comperta esse constat. Toto re-
gno abunde lignorum est: quod satis ostēdit
nauium multitudo, & earum pretij vilitas: si-
quidem hic nauis, meo quidē iudicio, tribus
quadrantibus minoris quam in Italia aut Hi-
spania ædificatur, & rebus omnibus necessa-
rijs instruitur. In emendo aut vendendo nō
vtuntur auro, etsi eius non sunt inopes, sed
argento, quod non cudunt, sed fundunt fere
in formā panum: vnde quum quid emēdum
est, præcidunt quantū est opus, & appendunt
in libella permodica, nostræ bilanci seu sta-
teræ prope gemella, quam quilibet secum ad-
fert in forum. Iā licet nō parum argenti im-
portetur, maximam tamen eius vim, quem-
admodum & auri, ex patrijs fodinis eruunt.
Obseruant studiose in mercando quotæ
notæ sit argentum, eò quod alterum al-
tero vt probius; ita & carius est. Sane in
rem fuit Sinas non ferire monetam, sed
delectu adhibito argentum expendere,
eo quod, vt sunt industrij in re facien-

da, multis alioqui dolis fenestra aperiretur. Vsus est præterea monetæ ex aurichalco, in qua item probam à falsa discernunt. nihil enim non fraudibus est obnoxium. Argilla quã Porcellanam dicimus, nulla adhuc vicit Sinensem, quæ vt minimi est precij, ita tanta copia, vt prçter id omne quod regno satis sit, possint quantumuis nauium numerũ explere. Vestium multitudine & precij vilitate nos superant, prçstantia non assequuntur. Sericum multum illis est & probum, sed elaborandi artẽ non tenent. Texunt Damascenas, heteromallas rasiles, bombycinas, sed color vbi aliquamdiu blanditus est oculis; cito deperit, ac primo omni nitore exuitur. Vulgaris plebeiorum hominũ vestitus è gossypio est, quem per hyemẽ item gossypinis aut sericis tomentis ad defendendum frigus appositis, quæ calanticam aliquam magnitudine æquent, inferciunt, eaq; ad id vnum compatata habent. Sunt ex honestioribus, qui salutaturi magnates, aut quid simile facturi toga talari serica induuntur: neque desunt quibus hic quotidianus cultus est; minime tamen eo luxu qui in libris vulgatis describitur. Vestiuntur omnes, adeoq; ipsi milites, veste ad talos demissa, manicis laxis in aduersa parte apertis, & infra brachia vndiq; adstrictis, qua vestitus forma sic delectantur, nihil vt ei par fieri posse credant. Et sane plena est dignitatis & modestiæ, præsertim ea qua Mandarini vtuntur, quę à ceteris paulum diuersa est. Viri æ-

ri æque ac mulieres comam promittunt, præter Bonzios (id est, eorũ sacerdotes) qui raduntur. Viri capillos in nodũ astringunt, certoque reticuli genere è setis equinis ad instar capillaris muliebris laboriose contexto cohibent, æstate vero multi pileis caput operiunt, simili opere retiario. Varia sunt tegminum capitis genera, cuiuslibet conditioni siue statui accommodata. eorum infimum quo plebeij homines capita fere operiunt, rotundum est. Calcei ex eadem sunt materia è qua cetera sunt vestimenta, ac fere serici, varijs ad aspectum venustis oris atque obstragulis deuincti. Turpe ducunt capite non operto in cuiusquã, præsertim in dignitate aliqua positi, conspectum venire. Permagni faciunt careque emunt quæ ex Europa afferuntur, ac pannos quosdam, præcipue holosericos tripilici villo, quos Lusitani institores vænales habent, longe suis anteponunt. Denique oẽs panni in honore sunt & precio, atq; etiã vndulati & subtiles nonnulli qui ex India mittuntur. Specula & quidquid est vitrei operis, quamuis in Europa contemtum, hic admiratores reperit & minime parcos mercatores.

Habitus corporis Sinarum.

Sunt plerique omnes Sinę barba rara, breui naso, oculis modicis & nigricantibus, quãobrem de meis qui sunt ferrugineo colore, cuiusmodi nullos præterea viderunt, multa philosophantur: ex quibus hoc est iactatũ ꝙ eiusmodi oculis cognosci posse narrant quo loco abditæ sint gemmæ aliæque res precio-

 sæ.

fæ. ſomniant etiam intra illos litteras quaſdam latere. Hominem fœdum & inuenuſtũ quum volunt depingere, tribuunt illi breuem veſtem, magnos oculos, barbam & naſum oblongum. Candidi ſunt maiorem partem, non tamen æque ac Europæi, qui illis valde candidi videntur. Eruditi omnes grauitate præſtant & ingenio, eximiamque in moribus modeſtiam præ ſe ferunt. Artifices perinde ac nos omnium artium habent, & complures eandem nobiſcum opus faciendi rationem tenent, iiſdemque vtuntur inſtrumentis. Quam quiſque artem factitet, aut quod munus ſuſtineat, id in eius eſt manu, neque quod nonnullos audiui in Europa cõmemorantes, patrem ſequi compellitur, ſed quò libuerit maxime, appellit animum. Ita prout ipſis commodum eſt, vel ſtudent, vel deſerunt aut mutant officia. Operam ſuam non magno locant: atque vt ipſis noſtri artifices ingenio & induſtria, ſic illis ipſi viciſſim alijs rebus multo præſtant. Seruitia ſiue ſint viri ſiue feminæ, vili conducuntur: neq; plus duobus ſcutatis vnà cum victu, citra veſtitum, viro datur, eò nimirũ quod eiuſmodi hominum mira ſit frequentia. Et vt multos reperire eſt inopes, quibus plurimi ſunt liberi, ita ſolemne eſt, eos vænum ire, neque cuiuſquam alterius rei precium vſque eò apud Sinas iacere comperi. Videas hominem adoleſcentem duodecim aut quindecim annos natum, nullo naturali vitio affectum, duode-

duodecim aut quindecim Iulijs vendi, difficilioribus temporibus etiam minoris empti, non alio fere quam mancipiorum iure sunt, quanquam habeantur liberaliter, & vbi tempus est, nuptum collocentur. Neq; tamen interea in regno tot opibus ac populis redundante quisquam homo aut vllus hominum ordo diuitijs & potētia cum hostratibus certare potest. Ægre inuenies inter eos qui vel regē proxime cognatione attingant, qui in fortunis suis siue copijs viginti scutatorum millia habeat. pauci sunt & eximij quidā qui decem millia possideant, neq; alios fere reditus habent quā quos ex agris muneribusque capiunt: qui sane sat modici sunt. Sed vt nostri pecuniosiores sint, si tamen annonę apud Sinas vilitatem cum nostrate caritate conferas, pares esse videbūtur. De plebe nemo prope quisquam in ocio degit ætatem, plerique enim omnes opere faciundo victum sibi parant. Iam vero in tantæ hominum colluuie tantaque regni vastitate non plus quam trecenta cognomina sunt, eaque omnia monosyllaba. Nonnulli sunt, sed rari, qui equestris ordinis censeri possunt, qui scilicet pro opera regi in tempore nauata, hereditarijs ab eo dignitatibus sunt ornati. Non est tamen vlla prope in Sinis natalium claritas vel splendor, neque quisquam alteri maiores suos audet opponere; sed nobilitas omnis ex literarum studijs munerumque & dignitatum Mandarinorum gradibus petitur.

Nobilitas apun Sinas.

tur. Itaque cui filius est Doctor vel Mandarinus, is quum ipsi tum vniuersæ familiæ honori est, quo tamdiu illa floret dum litteratos aut Mandarinos progignit. Nemini è regis propinquis aut ceteris villam vllam propriam aut sibi vectigalem possidere licet, sed vni regi omnia conferuntur; ipse autem reditus Mandarinis certos attribuit, & leges statuit, quo causam adimat quidquã à priuatis postulandi; nõ tamen iccirco multi eos spoliare & vexare desinẽt. Sinis ab anno 15. ad 22. aut 20. nuptias contrahendi tẽpus est. Vnã habent præcipuã in legitimo matrimonio, quę ipso nuptiarũ die quãdo in mariti domũ ducitur, publice per vicos fortunas suas & supellectilẽ omnem præ se agit. Præter hæc alias quot cõmodum est, emũt, & quũ libuerit, distrahunt; nõ tamen deinde eis fas est venditæ propinquã aut etiam sine cõsanguinitate vlla cognominẽ in matrimoniũ ducere. Concubinarũ filios hęredes quoque institui mos est: neque magni interest ad diuitias & honores cõsequẽdos legitima matrefamilias an alia sis natus. Atque hoc est vnũ ex ijs ac forte præcipuum, ꝙ homines honestos ac Mandarinos à Christiana religione auocat, quod vxorum ferè habeãt & liberum greges, quos repudiare atq; abdicare absque extraordinario Dei afflatu vix possunt. Quũ alijs in rebus, tum præcipuè in iussis faciẽdis, augurijs superstitiose sunt dediti; quod ita se amorẽ & obseruantiã erga parẽtes declarare existi-

existimāt, cuius rei pleni sunt eorū libri. Igitur & apprime sunt obsequiosi parētibus, & & in dicto minus audientes, graues pœnæ cōstitutę sunt. Fit quādoque vt viri dignitate & Mandarinatu præditi, impetrata regis venia, ijs se sponte abdicēt quò domi se abdere, & decrepita iā ætate parētibus inseruire possint. Quæ tā iusta censetur ab omnib. postulatio, nemo vt facilè repulsā ferat. Mortuos parentes libri oēs summorum infimorum, tres integros annos lugent: atq; vt nobis pullus color, sic illis tela candida, ex qua pileos etiā faciunt, lugubris est. Primis mensib. aspera veste induti, fune, ad exēplum nostrorū Fratrum discalceatorum, se præcingūt. Cuilibet Mandarino quamuis potenti, allato de morte patris aut matris nuncio (nisi reb. bellicis præsit) munere & dignitate è vestigio abeundum est, deserenda Respubli. susceptæ pro litterarijs gradibus cōtentiones omittēdæ, secedendū intra domesticos parietes, & parētibus extremo honore prosequēdis, & elugendis vacandum. Locupletiores nō statim à morte suos terræ mandāt, sed alterum aut tertium annum domi in cōclaui idoneo detinent, quò ad eos salutandos, adolēdos odores, & imponēdas feretro escas vētitare solēt quotidie. nonnunquā etiā Bonzij ad ferēdas lachrymas cōueniunt. Iam Mandarinis non satis est seposuisse negocia vestéq; mutasse, sed ea etiā prope omnia quibus vtebātur, cōmutant. Multi nō amplius sellis, sed scabel-

lis in

lis insidēt. salutationibus fere abstinēt, raros admittūt salutatores, partē chartę in qua scribūt alio colore inficiunt. Quo die efferendū est funus, magno apparatu qui illud comitaturi sunt, propinqui ac necessarij, candidati oēs confluunt, ac pro sua quisque copia Bonzios congregāt, qui lugubria carmina instrumentis musicis emodulentur; quos siue ex ornatu siue ex numeris sacerdotes nostrates existimare possis, vniusmodi cantum canentes. adeo illis similes sunt. Onerant & fercula sigillis candidis chartaceis aut sericis, vexilla item conficiunt, aliaque insignia. Locus quò corpus defertur, varijs imaginibus ornatus est. effertur autem arca prægrandi. nā quum hæc omnis gens in apparatu exsequiarum felicitatem suam ponit, tum maxime in duobus, arcę qua conduntur pręstantia, & sepulturæ loco & modo. Non ergo exspectant dum sibi post mortem arcæ lignum quæratur à posteris, neq; si alijs eam curam permitterent, posset loculus antè eo opere fieri quo assolet, quam corpus puteret. Igitur in re quam tanti reputant, ne liberis quidem suis fidunt, sed ipsi per tempus lignum aliquod sibi comparant quam possunt minime corruptioni obnoxium, plerumq; quatuor, sex aut octo digitos crassum. quare quum ad hoc ante etiam clauditur, fieri potest vt diu funus citra puto rē vllum domi seruetur. In vnum eiusmodi loculum sunt qui septuaginta, octoginta aut centum ducatos expensos

ferant

ferant. Atque vt pars quædam beatitudinis ipsis videtur, idoneū esse nactum, ita contra ante emori quam vllus præparatus sit, quod raro vsu venit, infortunatū ducunt. Alterum est sepultura ipsa, & sepulcrum. Hoc sortitò sibi deligunt, adhibitis in consiliū huius artis peritis caute admodum & considerate, rati suā posterorumq; fortunam in electione sitā esse. Itaq; est inuenire qui annū ipsum in hac deliberatione consumat, velitne suum sepulcrum septentrionis regionē, an aliam aliquā spectare. Quamobrē inter Sinas præcipua de sepulcris est contentio. Fiunt hęc extra vrbium mœnia in campis, aut in montibus, vbi structili, aut lateritio, aut alio opere cryptā subterraneā exstruunt, quam postquam in ea arcam deposuerunt, vndiq; bene communiunt ac subinde eodem redeunt, suosque ritus iterant, & esculenta afferunt. Male auspicatum iudicāt intra pomœria sepeliri. Quod si cui contra accidit, etsi omnium Sinarum longe esset Princeps, numquam eum suos lugere mortuos patientur, atque inprimis mulieres, quæ nullum de tali infortunio loquēdi plorandiq; finem faciunt. Sunt etiam qui Metempsychosin fieri credunt. quocirca à morte præcipue patris aut matris animantiū cædibus temperant, ne forte aut illorum aut cuiusquam alterius animam in ijs latentem perimant. Abstinent præterea quidam pauperiores, qui olim ex diuitiore

tiore & ornatiore domo renaſci deſiderant.

Tametſi vero inter Sinas pauci ſunt qui diuinitatis aliquid in idolis eſſe credat, quive illis maledicere vereantur, oẽs tamen cõſuetudine quadã faciunt, vt eis ſi nõ diuinos, at ſtatos tamen honores habeant, quiq; plus eis tribuunt, chartas, thus, alioſque odores incẽdãt, & hoſtias mactẽt. In codicibus vanorum Deorum multa de inferis leguntur, qui etiã multifariã atque in omnibus prope vrbibus in quibus eſt aliquod eorum tẽplum, cælati viſuntur affabre, cum tetris formidoloſiſq; cacodæmonibus, qui mille modis reos miſere exercẽt. Res tota artis forte laudẽ habet, fidẽ vulgo etiã non habet, quod terroris tantũ cauſa ficta putetur. Quod ſi cuiquã fidẽ mereri videtur, is ſimul prȩterito certo annorũ numero, animas inde in animãtes aliquas migraturas eſſe credit. Qui idola aliquo loco ducũt, ſorte ante ea tracta cõſulunt quid ſibi euenturũ ſit. Necdum tamen vſquã toto regno vllum oraculũ memoratur cuiuſquã dæmonis per ſimulacrũ aliquod reſpõſa dãtis, cuiuſmodi alibi reperias. ea eſt vel populi de ipſis exiſtimatio, vel Bõziorum improbitas. Ædes in quibus reponuntur, ſordium fere ſunt & fetoris plenæ, neque vlla fere paullo lautior aut auguſtior exſtat. Plurimum diuinationib. ſe dedũt, atque aliter etiam quam à dijs de proſpera atque aduerſa fortuna, deque conſiliorum ſuorum euentu ariolos ſciſcitantur, quorũ eſt ingens multitudo hominum

num circũfaraniorum, ſpermo legerum, mẽdacium, qui quam plurimis imponunt. Et tamẽ Sinæ homines minime hebetes, qui illis hæc ignota eſſe non ignorant, ſæpeque eos vanos comperiunt, non temere ijs inconſultis negocium aliquod aggrediuntur. Ac plane exiſtimo, ex eis nonnullos, quamuis paucos, pactiones aliquas cum dæmonibus habere: quod ex quibuſdam argumẽtis (de quibus hic dicendi locus non eſt) conijci facile poteſt.

Duæ ſunt egregiæ primariorum in Sinis hominum delirationes, & ante alias exitioſæ. Vna eſt, quod ſtudio ſe ſuo mirificam quandam vitæ longæuitatem aſſequi poſſe confidunt. Huius artis mille artes excogitant, & medicamenta ſumunt innumera, ad minuendam quam producendam vitam aptiora. Atque huius dementiæ præcepta & multis libris ſunt prodita & à magiſtris hominibus minime leuibus aut egenis explicantur. Sunt qui ſe valde ſenes eſſe mentiuntur, ad quos veluti cœleſtes homines, vulgi concurſus fiunt diu viuendi inſtituta & præcepta (in quo fortunam ſuam verti credunt) ab ijs diſcere cupientis. Altera deliratio poſita eſt in ſtudio & contentione fingendi argenti, de qua item arte complures habent conſcriptos libros vtuntur ad hoc herbis multis & argento viuo: qua in re conſumunt modicum illud argentum *Superſtitiones Sinarũ.*

quod habent, neq; ſpem tamen vmquam abijciunt. Quod vero necdum euẽtus ſpei reſponderit, id ex eo euenire iactant, quia necdum ſua ſibi fors fortuna obtigerit, quã multi multorum annorum ieiunio accerſere conantur.

Militia apud Sinas. In Sinarum regno magna eſt per omnes prouincias militum ſparſa multitudo, quos in tanto tot retro annorum otio alere Sinæ non deſinunt. Verum vt gens pacis eſt & quietis ſtudioſa; ita milites, præter Bonzios deterrima ſunt conditione: nulla in ijs virtus, nulla induſtria, nullum robur. Multi ex ijs artem aliquam factitant, multi aurigæ ſunt, aut Mandarinorum & honeſtiorum hominum lecticarij. Vbi deinde delecti fiunt, militant donec ſtipendium abſtulerint. Itaq; in nulloſunt honoris gradu. Pęna à tribunis in eos decerni ſolita, eſt ſcutica, qua perinde vt in ludis litterarijs pueri vapulant. Neq; his tã ad vnguẽ factis ſtrenuiſq; militibus ſiue ad lædẽdũ ſiue ad propulſandũ hoſtẽ arma deſunt. Ridere ea potius quã cõmemorare libet. Nulla eis alicuius precij bombarda. neq; enim in cuiusquã militis manu vllã vidi (vidi autẽ plurimas) cuius ſipho ſiue fiſtula palmum excederet. Credas eas dicis cauſſa arma gerere. Sed minimè id mirũ videri debet; quippe quum in tam diuturna quiete nullum locum habuerint exercendę virtutis: qui ſi illis daretur,

ijs sunt corporis viribus vt minime segnes aut inepti bellatores futuri videantur.

Mandarini quoque siue præfecti militares longe ijs dignitate sunt inferiores. qui in aliquo Eruditorum gradu collocati, literis præsunt. Militares vero eiusmodi prefecturæ aut tribunatus non acquiruntur vllis militiæ preclaris facinoribus, aut bellica virtute; sed iubentur verba aut scriptũ facere de militari aliquo argumento: atque ex omni numero deliguntur ij qui optime id fecisse visi fuerint. Ad hoc alteram vel tertiam sagittam iaciunt, quo suam iaculãdi peritiam ostendant. Carent tormentorũ administrandorum scientia: quamquam pro mœnibus nonnullarum vrbium vidi quædam breuia, ore æque ac postrema parte lato, quæ haud scio an vmquam explodãtur. sex aut octo omnino adhuc visa in muris, qui sua potius altitudine quam eiusmodi tormentorum terrore muniantur. Præcipuus militum numerus ac robur in his regni partibus quæ Tartaros attingunt, commoratur.

Quadringenti iam anni sunt, postquam vniuersa Sinatum regio in Regis Tartarorum potestatem venit: cui se expugnationi interfuisse Paullus Venet. testatur. Tenuerunt eam Tartari annos ducentos: quibus elapsis, Bõzius quidã, homo cõsilio & manu promtus in regem exortus, eũ exturbauit,

& regnum inuasit, quod ex eo die eius posteri etiamnum obtinét. Hoc ergo est quod maioribus præsidijs hanc Tartarorum viciniam tueantur. E Tartaris tum in aliquo regno, tum in his circa Pachinum partibus adolescentes multi relicti sunt, vultu & colore Sinis dissimiles, atque his in terris Mahumetem sequuntur, & Moscheas habent.

Præter milites nemo fert arma, nullius edicti metu, sed quod præterquam belli, nusquam ijs sit vsus, deinde viri graues & eruditi arma plane contemnunt: neq; eos vmquam inter se, vt nostratus solent, armis decernere videas. quod si quãdo ad manus venitur, pugnis inter se conscindunt, depaxos dant, & comas vellunt: momento deinde redeunt in gratiam. iam colaphum alicui impegisse, & similia, quæ nostri cædibus vlciscuntur, non tanti putant.

Sine literis dediti. Plurimum sunt Sinæ litterarum studijs dediti, quod in ijs honorem, opesque suas omnes sitas vident. Sunt illis circiter quadraginta diuersarum inter se litterarum millia, nisi quod nõnullæ ex alijs constant. Carent Alphabeto, & omni quod eius vicẽ suppleat; sed cuiuis rei significandæ sua est tributa litera ab omnibus alijs diuersa. Et quum tot sint litteræ vt earum quotidie octo decemve millia vsurpentur, voces tamen ipsæ numquam plus vnâ syllabâ recipiunt.

piunt. Mos eſt vt ſeptimo ętatis anno legere & ſcribere condiſcant, in quo penicillis vtuntur. Exſtant complures libelli, quibus pueri propoſita Mandarinatus ſpe, ad ſtudia inuitantur. Nullam ſcientiam attingunt, vt Mathematicam philoſophiam, & ſimiles. in vna Rhetorica verſatur omnis eorum labor. Totius enim eruditionis ipſorum ſumma atque laus poſita eſt in facultate de propoſito aliquo argumento diſſerendi, verbis ad rem accommodatis & elegãtibus: item vt in Europa noſtra veteres illi Oratores conſueuerunt. Ergo vt pollent ingenijs, præmijſque etiam accenduntur, omnes huc neruos ſuos conferunt, omnibuſque alijs actibus repudiatis, & abiectis, ijs quæ mortem auocare & ocium conſumere poſſent, plurimum in hoc vno ſtudiorum genere elaborant. Non adeunt, neque omnino habent vllas ſtudiorum Vniuerſitates ſiue Academias, ſed quibus per facultates licet, magiſtrum quempiam non magno conducunt ſuis liberis domi inſtituendis: ſin; copia eſt in quolibet oppido cõplurium, qui certo ad victum minerualí in ſingulos mẽſes contenti, cuilibet operam nauant. Itaque de magiſtris nihil conſtitutum eſt publice, ſed docere cuilibet licet, & dare operã cuilibet magiſtro, in ſingulorum eſt manu. Proinde carent etiam ratione explorandi à primo eorum doctrinam qui in nullo ad-

 huc

huc litterario honore sunt; sed quicumque eò euehi studet, quolibet tertio anno ad vrbem prouinciæ caput sponte proficiscitur, vbi magnus eorum numerus qui id expetunt, probatur & excutitur, atque ex ijs soli in optato gradu collocantur, quorum compositissima scripta iudicata fuerint. Reliqui vacui domum redeunt, certi studia vigere diligentius, quo proximis comitijs probam se iudicibus & honorem adipisci possent. Tres sunt eruditorum gradus, tribus illis nostris similes, Baccalauriorum Licentiatorum, Doctorum. Omnium horum candidatis, eadem proponitur ad scribendum materiâ, & scribendi modus. Traditur illa pridie, confestimque omnes in amplissimas ædes deducuntur, vbi conclauibus inter se disclusi nullam habent facultatem, vel verbum inter se conferendi. Ad hoc hominem certum singulis adiungunt, qui eos cum quoquam loqui vetet; cauentque studiosi ne quis vel chartam digitali longitudine secum afferat: qua in re valde sunt seueri. Nihil ijs dant præter atramentum, chartam & lucernam, definiunt viginti quatuor horas, intra quas orationem elaboratã esse oportet. Ea res homines sic sollicitos habet, vt nonnulli elapsis viginti quatuor horis, ita confecti consumtique prodeant vt paullo post emoriantur: quod potissimum Licentiæ & Doctoratus peti-

toribus ſolet accidere. Ceterum quamuis confectæ ab ſe orationi quilibet nomen ſuum adſcribat, iudices tamen & Mandarini ea non inſpiciunt. Adhibent ſiquidem celeres librarios, qui quod ſinguli ſcripſerunt, omiſſo nomine deſcribant, ac deinde ipſa autographa claudant, obſignent & diligenter cuſtodiant. Apographa dantur iudicibus, hominibus omnium eruditiſſimis, qui ignari cuiuſnam ſit quodlibet opus, neque vllo relicto gratiæ loco, ſincere ea ſcripta diligunt & ſeponunt quæ ornatiora cenſuerint. Vbi renunciandi ſunt qui puncta tulerint, autographa cum apographis comparant, atq; ita quinam ij ſint, cognoſcunt & promulgant. Qua in re tam ſunt attenti & cauti, vt quiſquis alicuius doli compertus ſuſpectusve fuerit, loco ſuo moueatur, ſit licet vnus quiſpiam principũ Mandarinorum. quod in altero & tertio gradu obſeruatur ſeuerius. Primum gradũ aſſequutus, multis ipſe vniuerſaque familia facultatibus, immunitatibuſq; eximius eſt; ſed eum neceſſe eſt tam diu iudicibus iterũ atq; iterum doctrinã ſuam pertentandam præbere, donec tertium gradum contigerit: quod eâ gratiâ fit, ne ſtudium remittat. Hac neceſſitate non eſt aſtrictus qui necdum vllum eruditionis titulum ſuſtinet. Fit etiam ſæpenumero, vt

qui hac lege tenetur, neque tamen grauiter in studia incumbit, de primo quem iam cõsequutus est gradu, non sine probro & dedecore deturbetur: multi item quod vltra porro ascendere nequeant, in primo consistunt. Eadem est alterius gradus ratio. ad eum accedunt qui iam ad primum peruenerant: non tamen omnes, sed qui dilectu habeto, ad examen admissi fuerint, quod priori longe est accuratius & honorificentius. Huius alterius ordinis tot sunt in qualibet prouincia quot rex esse permiserit; qui vt quamque ornatam esse desiderat, quod maiorem minoremue litteratorum numerum ferat, aut simili aliqua de caussa, ita huius ei honoris facultatem indulget.
In hac honore constitutus, quum libuerit Mandocinatu ornatur, & Reip. gubernaculis admonetur: non tamen ijs adhuc muneribus, quæ tertio ordini propria sunt, dignus esse iudicatur. Singulis qui pro tertio gradu periculum sui facere cupiunt, Mandarini è pecunia regia coctum ducatorum numerum dant, quò in regiam proficisci, & specimen suæ eruditionis, quod quolibet trienniò fieri solet, dare possint. Qui spefrustrantur, iterum atque iterum exspectant, dum tandem vel decrepti quod optant asseruantur. Horum candidatorum numerus ita definitus est, vt plus es trecẽtis quinquaginta esse non possint: quos inter censeri

ſeri multa alterius ordinis millia certatim appetunt. Ad hunc vltimum ſtatum qui peruenerit, nihil iam habet quo vltra progrediatur; neque in hoc genere quidquam cuiquam arbitrantur accidere poſſe fortunatius. Ex his trecenti quinquaginta pro ſcriptionis cuiuſque elegantia, duæ claſſes eximiæ conficiuntur. Prior tres continet omnium præſtantiſſimas, quorum vnus eminet. In hos rex præcipue munificus eſt, ac ſimul electi ſunt, etſi etiamnum adoleſcentes ſint, inter primos proceres palatij numerantur. Altera claſſis triginta eſt vel quinquaginta reliquis inſigniorum, qui Mandorini palatij fiunt. Qui ſuperſunt, ſparſi per prouincias, extemplo Mandarinatu & munere aliquo ſiue in regia ſiuè foris in prouincijs decorantur vti deinde compertum fuerit eos Rempubl. gerere, ita vel porro euehuntur, vel, quod interdum accidit, abiecti honoribus exuuntur. Quilibet Doctor quamprimum eo honore politus eſt, in patria ſua ædium liminibus eam domum Doctoris inſcribit. Omnes exinde ei domui honorem habent, & fores quibuſdam quaſi arboribus cingunt, quas ſinguli eius vrbis Mandarini cum expanſo vexillo ad eum mittunt: atque inibi arbores iſtę perſtant in poſterum. Ei vero qui Doctorū primus renunciatur, arcum triumphalem inſignem erigere ſolent.

Libri Sinarum.

In ædium veſtibulis Sinarum Doctores libros habent, bis mille aut bis mille & quin gentis adhuc annis à veteribus philoſophis elucubratos, in quibus de virtutibus moralibus & gerenda Republica luculente diſſeritur. Hi quaſi in Diuorum numero habentur, atque ante alios vnus quidam, quē prę-cipue omnes colunt, cui etiam quotannis Mandarini & eruditi omnes pro ſcriptis ab eo libris alijſque in Rempubl. meritis gratulabundi ſacra faciunt. Reges etiam Sinarum iam ipſos bis mille annos eius poſteros pro ſua erga eorum parentem obſeruātia, alunt, atque maximis in Republica dignitatibus cumulant. Hi ſunt libri quibus ſe dedunt, & è quibus ſuos petunt ad ſcribendum locos, in quo & ordinis litterarum inter ſe, ne temere poſitæ videantur, & aptæ ſententiarum diſpoſitionis ratio habetur. Poſtquam renunciati ſunt Doctores eorum, omnes illæ lucubrationes eduntur in lucem, non modo ipſorum, ſed patriæ etiā & patris nomine multiſque laudibus additis Sunt hi Philoſophi apud Sinas eodem loco quo apud nos Seneca & Plato: nemo tamen illorum vel copia vel elegantia ſcriptorum cum quoquam noſtrorum componi poteſt. Pondere vero ſententiarum, quæ in ceteris non ſunt contemnendæ, ille vnus quem pręſtare dixi, noſtris par videri poteſt. Ijs qui ſcite norunt ſcribere longe

maior

maior ab Sinis quam à nostratibus honor tribuitur. Itaque plurimorum quotannis libri vulgantur, in quibus nihil est accuratum, nihil selectum; sed quod cuiq; in mentem venit, siue probum sit seu prauum, id protrudit, quo fit vt plerique libri nugarũ sint pleni. Qui inter eos excellunt, de nulla scientia (quarum, vt dixi, sunt ignari) verbum faciunt, sed sententias duntaxat quasdam complectuntur, conformandis moribus, aut ordinandæ Reipublicæ idoneas. Typorum exprimendorum ratio multum à nostra dissidet: non enim coniungunt litteras, sed in singula folia tabulam formant, quæ vtrimque characteres habet: quod etsi perquam laboriosum videbitur, sunt tamẽ in eo celeres & expediti, neq; care sua æstimant. Solent quoq; candidas litteras formare in nigro; qua in re nostras antecellũt, etsi in illo concedunt. Ad hoc vtuntur typis lapideis, qui nõ gerunt characteres vniuersos, quo recti exprimãtur in charta, sed quum in lapide tum in charta eundem sitũ habent. Id autem faciunt, humefactâ in principio charta, ac lapidi imposita quam vbi leuiter re aliqua minime dura identidẽ impulerint, sensum in typorum lacunas inigunt, dum eæ partes reliqua charta sunt depressiores. Tum vero chartam atramento tingunt; quod quia ima litterarum non alluit, candidæ illæ manent.

Liber

Liber quispiam noster quamuis magnitudine par, plurimum eorum quemuis rerũ copia superat: idcirco quod res longe minutioribus litteris vtimur. Neque vero tãtus in hac lingua scribendi legendique labor Sinas deterret; qui ad negociandi consuetudinem, plerique omnes vtrumq; norunt. Suus est & pactis honor. Igitur homines etiam primi ordinis in eam artem inclinabunt? Laudi præterea habetur pingere & fidibus didicisse; de quo spectatæ etiam auctoritatis viri gloriantur. Ac pingendi quidem inter illos media ars est, quod neq; vmbras addere, neque oleum norint; ad canendum tamen grauiter ac temperate fidibus, fere plerisq; multa dexteritas inest. Audiui non semel eorum concertus, præsertim in aula, quum ornandi recreandique mei caussa, Eunuchi regij aliquamdiu, vt mihi quidem visum est, iucunde suis cytharis sonuerunt, non tamen nostris exæquari posse existimo: sibi fortassis etiam longe superiores videntur. Vnum est illis duntaxat cytharæ genus grauiorum hominum auribus accommodatum, quod valde laudare solent, sambucæ non absimile, quam communiter Harpam dicimus: etsi in forma & canendi modo neque cum hoc neque cum vlla alia nostratium fedium consentiat.

Porro quemadmodum nullum est in Sinis hominum genus, eruditis atq; docto-

ribus.

ribus honestius; ita nullum est meliori indole, neque grauioribus magisque ingenuis moribus præditum. Nam illi quoque qui humiles ante erant & pauperes, parentibus sordidæ officinæ deditis, vt fere plerumque sunt nati, vnà cum honoribus altiores quosdam & generosiores spiritus induunt. Quod si vllum est in Sinis hominũ genus quod cum magnatibus nostris, quos Titulatos dicimus, equitibus, aulicis conferri possit, hic vnus est Mandarinorum ordo: adeo multi inter illos sunt, eximia in suis negocijs sustinendis sedulitate, innocẽtia, & boni publici studio. Nostris sane admirationi sunt, quum homines ethnici, qui Dei nec metu nec amore ducuntur, tanta vitæ integritate sunt; cuius vt proximis annis documenta solito crebriora darent, fecit huius regis impotentia, flagitiosi mores & auaritia. Nam etsi summam ille rerum omnium potestatem habeat, pariq; , quum libuerit, in maximum quemuis Mondarinorum, atque in postremum quemque hominem dominatu vtatur: extiterunt tamẽ per hos annos nõ pauci, qui insigni loquẽdi libertate excellentique animi, scriptis ad eum litteris quæ ab omnibus legi possent (hic enim est, regem palam conueniendi modus) vitia eius coarguerent. neque eos vllius supplicij quod præter certam dignitatis iacturam impendebat, metus auertit.

Mandarinorum apud Sinas dignitas & mores.

ex

ex ijs vnus litteras suas sic exorsus est: Etsi, Rex, compertum habeo, stare iam furcam mihi paratam, & inflammatum esse rogum quo cremer; non tamen iccirco flagitia tua, iniurias, & noxia publicæ improbitatis exempla reprehendere dubitabo aut desinam. Ita quum scripsisset, visus est Rex nõ modo obstupescere confidentiam, sed integritatem etiam animique celsitudinem reuereri: ergo etsi in eum animaduertit, modum tamen adhiberi iussit. Adiungam & aliud commemorabile quod superioribus hisce annis gestum est. Habet Rex præter legitimam vxorem alias complures pellices, quas inter quidam est ordo, vt alia primum alia alterum obtineat locum. Ex legitima coniugi nullos suscepit liberos, sed qui maxim⁹ est natu ex tertia aut quarta, alter vero minor ex secunda genitus est. Quum ergo more institutoque gentis natu maior heres scribendus esset; Rex tamen alterius pellicis quam amabat ardentius, rogatu, eius filium statuit, posthabito priori, ad Principatum vocare. Hanc pomersitatem Mandarini complures increpare ausi & maiori studentes, gradu suo deiecti. Hic Mandarini reliqui qui plurimum possunt in regia, quum regem tergiuersari, atque id quod ipsi peterent, quodque ius ipsum postularet, detrectare cernerent, cõmuni consilio edicunt publice, vt omnes aulici Man-
darini,

darini, quorũ ſunt aliquot millia, ad diem & horam in regia adeſſent: qui defuiſſet, dignitate multaretur. Poſtquam ad condictum vnà cũ inſignibus Mandarinatus cõuenerunt, libellum dant regi, quo ei denunciant quando toties cauſſæ tam iuſtę admonitus, neque audire neque legitimum Principem renunciare vellet, quæreret qui ei ſeruire vellent, ſe quidem iam id minimè poſſe, & ſponte Mandarinorum ornamentis ſe abdicare. Territus hoc principũ totius regni conſilio Rex, Eunuchum ad eos allegat qui ornamenta recipere iuberet, facturum Regem quod ipſi rogauiſſent. Deniqúe hominem perpulerunt, vt quod ius eſſet, faceret. igitur hoc ipſo anno legitimus Princeps (de quo poſtea aliquid dicetur) renunciatus eſt.

Occaſio quidem hoc loco eſſet de Mandarinis dicendi, neque abs re foret ſingillatim gubernandi vias explicare: verum tanta numerum multitudo maioris eſt operis quam vt in pauca capita conferri poſſit. Hoc generatim ſciendum eſt, complures Mandarinos præclare excogitare multa; ſed cogitata factis non perſequi. Quid plura? Adminiſtratio plane ethnica eſt, & plurimis vitijs cumulata Carent multis legibus: in iure dicundo animi ſui ſententiam ſequuntur: in ſuis prouincijs nouas

ferunt

ferunt leges vt libet, easque plurimum ab aliorum legibus alienas? Potest enim quis vel ex eo conijcere, nō optime hoc regnum administrari, quod non quisquis ornatè scribere didicit, idem etiam habeat legislatoris prudentiam. Taceo quod sæpe lites in rem suam vertunt, ius violant, & quà licet, rapiunt. Muneribus nihil crebrius, neque cuiusquam rei tam vulgata nundinatio quam gratiæ. & quamquam alteri non ignotum sit alterius scelus, dissimulant tamē inter se, quippe eorundem participes facinorum. Sed quum maxime latere student, produnt se maximè. Magna est in omnibus vrbibus Mandarinorum multitudo; at in regijs Pachini prope immensa. Vt enim præteream Mandarinos bello præpositas, qui non magno sunt loco; aliorum maior est hic quam vbiuis alibi numerus. nam præter eos qui negociorum caussa assiduè has vrbes celebrant, huius quidem vrbis assidui Mandarini sunt plus bis mille quingenti. Hi omnes quotidie consultoribus & litigatoribus dant operam: quis vero tanta sit caussarum concursus, aut quæ cuiuslibet iurisdictio, nondum satis nobis compertū est. E præcipuis totius regni Mandarinis sex in hac vrbe degunt, sex pari numero consilijs pręsident, Supremus est qui totius regni Mandarinos vel euchit, ad altiores magistratus, quum ita merentur. vel in ordinem

dinem redegit atq; castigat, quum suo muneri desunt. hunc Sinæ propter potestatis amplitudinem, Mandarinum cœlestem appellant. Is caussas omnes promouendorum ad dignitates & abdicandorum refert ad Regem, qui de singulis ita statuit, vt minimus etiam totius regni Mandarinus suum honorem Regi acceptum referat. Alter Mandarinus curam gerit rituum omnium, tum humanorum, vt eorum qui in omnibus Regis negocijs adhibentur, in oratione noui Regis & designatione Principis, in vtriusque nuptijs; tum diuinorum, vt qui vsurpantur in inferijs & sacrificijs quæ Reges cœlo & terræ facere mos est. Alius ex ijsdem sex consilij bellici est caput. Alius rationes Regis procurat. Alius ædificijs ac domibus regijs, atque impensis ad eas necessarijs, deinde mœnibus etiam vrbium, & similibus rebus præest. Alius iuri dicundo causiisque capitalibus. Hos sex vnus duntaxat Mandarinorum ordo antecedit, quos Rex ad consilia de quauis re adhibet. Atq; hi quidem, vt est captus Sinarum, opulenti sunt & lauti; nemo tamen illorum vlli magistratuum nostratium etiam vulgariũ par esse potest. Annona quam à Rege habent, mediocris est, famuli contemti, neque vllum splendorem præ se ferentes; vulgus tamen hominum hos etiam veretur, ijs paret, neq; minus ad eorum quam ipsorum Man-

darinorum pedes procumbit. Pœna ordinaria quàm à sontibus Mandarini omnes exigunt, est vt parte arundinis trium quatuorve digitum longitudine iustaque crassitudine eos percuti iubeant: quo supplicio sæpe intereunt, tanta est eorum cum data opera cædunt, immanitas Castigant autem ferè puerorum studentium more, leui aut nulla de caussa, tum petitorem, tum vnde petitur, imperato vtriq; certo ictuum numero. exinde modus liti ponitur. Neque aliam recitant sententiam, quam quum ita duntaxat pronunciāt: Vapulet viginti verberibus. Solent Mandarinis maioribus prodeuntibus in publicum, anteire nonnulli qui voce aut instrumento aliquo populum decedere iubeant. In minoribus autem oppidis prętereunte Mandarino aliquo magno, in ædes omnes diffugiunt, seque abdunt, & opifices operas suas intermittunt. Ipse adeo vidi quum in oppido ad Mandarini conspectum summo omnes silentio, atque adeo canes ipsi diffugerent. tanta est omnium in eos reuerentia. Sunt etiam qui catenas aliaque instrumenta ante se raptari iubeant. In regijs autem nullum quantumuis amplissimum Mandarinum prætereuntem populus fugit, sed tantum de via cedit. In ijsdem regijs maiores Mandarini equis etiam vehuntur, alij sellis; in prouincijs autem omnes in sellis, hominum humeris deportan-

portātur, habētq; pro magistratus amplitudine sellas duas, aut quatuor, vel etiā octo.

Est præterea cuiq; prouinciæ magistratus qui eam quotannis palam inspiciat, atq; in Mandarinos inquirat: sunt etiam occulti quidam & clandestini inspectores, sed ij nequaquam ordinarij: atque vt ferunt sunt huiusmodi inspectiones iam pridem desiti, hoc icciro dixerim quod olim quum essem in Hispania semper acceperam perpetuum esse hunc apud Sinas inquirendi morem. Solius publici inspectoris est, capitis damnare. Minime sunt in vltimo decernēdo supplicio crudeles. Solus Rex, atque hic inprimis, cuius est singularis sæuitia, atrocibus exemplis reos nōnunquam mori cogit: vt quum in hac vrbe proximis superioribus diebus hiberno cœlo, frigidissima tēpestate octo homines leuis cuiusdā atq;, vt fertur, falsi criminis reos, stare iussit in publico, collo asseri inserto, ea crassitudine, vt magnā capitis partē amplecteretur, qui duobus scamnis subnix⁹ sic homines sustinebat, vt dies noctesq; pedibus cogērētur insistere. Huic ergo supplicio quum illi tres integros mēses, apposita custodia, addicti essēt, putrefactis ac perditis diuturna statione tibijs, ante quintum decimum diem morte sunt defuncti. Vidi homines quum hoc ritu starēt ac me sane eorum iniertum est. Nullum aliud vidi vel audiui supplicium diritate frequentari, nisi quod, vt ante

narraui, Mandarini interdum flagris & verberibus miseros enecant: quod sane atrox esse facinus.

Sunt Sinæ rerum nouarum sane perquã curiosi, quas typis mandatas breui tota regione diuulgant. Habent & libros quibus Mandarinorum omnium inscripta nominum & patria est: quorum si quisquam gradu dimouetur, vt sæpenumero fit, eius & nomen delent, & quum ita res fert, facile restituunt.

Præter alia in officijs etiam comitatis humanitatisque tuendis multi sunt, quæ pro conditione eius qui cum agitur, vanà sunt. Vulgare est quod adhibetur in salutationibus, vt hospiti salutatum venienti manus honestior detur, quæ alibi est dextera, alibi sinistra; deinde altera manu in alterius manicam, quæ longa est & laxa, inserta, ambas ita connexas protendunt, corpusque ad terram vsque incuruant. Deinde hospes sedem patrisfamilias, paterfamilias sedem hospitis sublatam suo loco destituit. Ceterum hospitis locus est superior, in atrij medio, seiunctus ab omni pariete: patris vero familias inferior, alteri cõtra oppositus, ita vt alter aduersus alterum spectet. Tum vero post delicias verborum, potio extemplo affertur, quam *Chiam* vocant, aquę ex herba quadam magni inter eos precij, quam sine summa inhumanitatis atque insci-

Inſcitiæ nota omitti non licet. Hæc bis aut ter propinanda eſt, non ſine fructibus & dulciarijs. additur & cochlear hauriendę potioni. Quod ſi hoſpes moretur diutius, non committunt quin aliud præterea aliquid eſculentum præbeant, quod ille, niſi inſtet quotidianum veſcendi tempus, parce admodum deguſto. Qui alterum ſalutaturus accedit, niſi perfamiliaris & neceſſarius ſit, famulum præmittit cum litteris ſalutis, quas *Paitre*, hoc eſt, libellum ſalutationis appellant, quo nomine, ſicut & ipſo libro, nihil eſt frequentius. In eo quatuor verbis declarant, quanto officio & ſtudio eum proſequantur quem conuentum volunt. Pro cōditione tamen tum ſalutaturis, tum eius cui ſalus affertur, alia atque alia eſt litterarum formula, aut enim vti ad maiorem, aut æqualem, aut minorem, aut diſcipulum ſcribunt. denique vt eſt hominis dignitas, ita eſt & obſequij modus. Neque enim fieri poteſt quin in tanta congreſſuū vel varietate vel crebritate multiformes etiam ſint virtus. Tum huius tum aliorum quæ de hac re poſtea perſcribam, exempla mitto in litteris, quas à primatibus Mandarinorum, atque à vulgaribus etiam hominibus ad nos ſcriptas accepimus: adiecta ſingulis interpretatione, lingua patrià. Eas omnibus qui eas inſpicient, voluptatem allaturas non mediocrem non confido. Si-

mulac epiſtola quam *Paitre* vocari dixi, allata eſt, certior fit is qui adeundus eſt; qui è veſtigio ad accipiẽdum hoſpitem iam iam adfuturum ſe apparat. Quod ſi quotidiano vſu notus non eſt, depoſita vulgari, propriam quãdam eius temporis veſtẽ induit, quemadmodum item is qui ſalutatũ venit, ad quem alter hoc cultu ornatum, niſi mutata veſte prodire non audet. Ea ergo celeriter iniecta, id quod vrget tranſigunt. In digreſſu hoſpes præit, ac ſub ipſo limine muneribus & officijs inter ſe, pro dignitate vtriuſq;, certant. quocirca paterfamilias propius aut longius, atq; interdũ etiam vſque in publicũ, hoſpitẽ perſequitur, atq; ibi tantiſper exſpectat dũ ille ſellam aut equũ conſcendat. Tum demũ brachijs maniciſq; ſublatis inter ſe valere iubent, atque diſcedunt. A digreſſu famulos inter ſe allegant qui gratias agant; hic quidem de ſalute ſibi dicta; ille autem de liberalitate in ſe accipiendo exhibita. Si ſalutator quem ſalutatũ ibat, domi non repererit, Paitre, id eſt, libellũ ſalutationis ibi relinquit, quo ille de hoſpitis ad ſalutandum aduẽtu fiat certior. Tum vero eius eſt cui ſalus afferebatur, quamprimum hoc officium exſequi vel eadem vel proximo die, ſi ſalutator dignitate maior; aut intra tres vel quatuor dies, ſi par eſt. Præſtat hæc ille ad eundem ipſum modum qui explicatus eſt. Quod ſi

eum

eum domi non offenderit, vbi salutis libellum tradiderit, munere suo perfunctus censetur. At vero quando dignitate ille antestat qui prior accessit, vt si de numero sit primorum Mandarinorum, postridie ad eum adit qui salutatus fuit per libellum, quo ei de salutatione facta gratulatur. quod si obuium etiam habuerit, verbis præterea gratias agit. Salutatorem item digniorem mos est aliquanto maturius libellum de suo aduentu præmittere, & patremfamilias aduersum egredi atque aduenientem honore & hospitio excipere. Domus pars præcipua & honestissima in summo est, in quam hospitem deducunt. Quemadmodum vero in scribendo variant pro cuiuslibet dignitate, conditione, & ætate (nam characteres etitm maiores format qui Mandarinatu præcellit, minores qui inferior est) sic etiam sermonem ad cuiusque fortunam accommodant. Obuios in publico salutant manibus consertis intra manicas atque elatis, breuique in eam rem formula verborum. Qui primum inter se nosse incipiunt, hoc etiam amplius adiungunt, vt ad pedes abiecti, terram sæpius fronte feriant, aliosque ritus adhibeant, quos percensere nunc quidem piget. Quum munus aliquod mittunt, adiungunt

ſcedulam ſiue Paitre, vt ante dictum eſt, in qua res omnes perſcribuntur quæ dono mittuntur, non ſine honore verborum. Porro ſiue donum accipiatur, ſiue pars eius duntaxat, ſeu omnino refutatur, nunquam non alter libellus mittitur, miniatis marginibus, cui hoc inſcriptum eſt: *Gratias tibi ago.* Neque vero vmquam eum qui munus attulit, ſine pecuniaria mercede domum licet dimittere; neque munus par aut præſtantius non rependere. Id quod magno ſtudio, cumprimis qui tenuiore fortuna ſunt, obſeruant. Et id quidem nobis tædiũ ac moleſtiam nõ mediocrem parit, poſteaquam cum potentiſſimis Mandarinis, qui res noſtrates, quarum indigi ſane ſumus, expetunt, aſſiduo muneribus certandum eſt. Afferuntur interdum ad nos Macao horologia arenaria, thecæ pectinanæ, cultelli, aliaque Europæã; quę quum iſthic nihili prope æſtimantur, hic autem prætioſa ſint, homines nobis conciliant, cauſſamq; dant de noſtris ſacris deque eorum ſalute verba cum illis faciendi.

Ad munera & ſalutationes accedunt cõuiuia atque epulę, quibus vnà amant indulgere. Solemnibus epulis duas ſingulis conuiuis menſas inſtruere mos eſt: alteram carne & piſce, alteram fructibus & bellarijs refertam. In vulgaribus conuiuijs vel vnam vni vel vnam duobus apponunt. Dapibus

eas onerant multa varietate, quæſito apparatu atque inſtinctu: quas ne refrigeſcant, per interualla, proferunt. Quinque vel ſex diebus, ante, miſſo Paitre ſiue libello, ad diẽ inuitant. cui venire integrum non eſt, is alio libello reſcripto excuſatum ſe haberi rogat. Alioqui ſilentio, ſe venturum oſtendit. Is libellus officij honoriſque ſignificationibus plenus eſt. Prima luce eius diei quo conuiuium futurum eſt, alium allegat, & ſub ipſam horam alium, qui conuiuam iterum atque iterum accerſant neque vero ille ſi vel vna harum vocationum deeſſet, venire dignaretur. Vbi ad ipſum conuiuiũ ventum eſt, magnis vrbanitatis ſtudijs certatur, ſed nihil, vt de loco in accubitu capeſſendo, itaque ſæpe dum ordinantur, dum collocantur, annus, vt ille ait, abit. nimirũ quilibet ſeu vere ſeu falſo alteri ſtudet cõcedere. Iam in capiendo cibo plurimum ſane diſcrepant à nobis. Suſpicari poſſis epulos eſſe non ad edendum comparatas. adeo dicis duntaxat cauſſa, modicum quid delibant, bibuntque ſæpius è cyathis fictilibus procellanis, quorum quilibet non plus quinque aut ſex vini cochlearia capit. Interea varijs ſermonibus conuiuium in quartam ſextamue horam producitur: & tamen famem referũt domum: quod nobis etiam non raro euenit, quamquã damus operam, ne inuitantibus, quantum licet, annuamus,

eo quod nimis longi temporis iacturam faciamus, nisi à supremi ordinis Mandarino vocemur, metu ne eius humanitate repudianda eum offendamus. Finitis epulis, singuli conuiuæ postridiè famulum mittunt cum litteris, quibus de præbito epulo conuiuatori gratias agunt. Ex quibus intelligitur, quibus in rebus Sinæ dimidium ætatis suæ consumant. Nullum enim maius illis est negocium, neque in quo plus temporis conterant, quam salutationibus, cœnis, muneribus intentos esse. Sed in primis multi in his sunt, anno nouo ineunte, cuius quindecim primores dies festas habent; deinde per dies suas natales, quas splendide agitant; & quum iter facturi, aut ex eo sunt reduces. Denique vt modum his omnino ponam, mitto ex multis litteris quæ ad nos scriptæ sunt, singularum exempla: quarum etsi verba non intelligis, animaduertes tamen ritus & mores huius gentis, & quantum inter illos & candorem illum qui in Europa colitur, intersit. nobis tamen omnibus ita necessario viuendum, atque ad ipsorum consuetudinem fingendi mores videntur, quò ijs mollioribus & faciliobus ad accipienda Christi instituta, vtamur.

Degit in hac vrbe homo Turca, qui annis abhinc quadraginta vnum vel alterum

Leonem ad huius regis parentem aduexit. is quod neque habitu neque moribus & institutis Sinas vllo modo sequi velit, non reperit qui vel cum eo rationem habere, vel ad fores eius dignetur accedere. Nostras autem, Deo nobis omnium animos deuinciente, nemo fugit: scilicet quòd vident nos nullum eorum agendi, vestiendi, cæteræque vitæ morem aspernari. nam omnes Mandarini, qui valent plurimum, nos salutatum domum nostram ventitant, & (quo animo ne in sibi quidem muneribus & gradu pares, esse solent) de nostra etiam palam amicitia gloriantur. Merito igitur Deo laudes gratesque agendæ sunt. quippe paucis abhinc annis fieri non posse credebatur, vt eo loco, existimatione, sanctitatis & eruditionis opinione aliquando Patres essent, qua nunc eos florentes videmus. id spem nobis facit fore vt reliqua etiam à quibus est difficultas, Deus perfringat; quò summo cum totius Europæ nostræ Patrumque nostrorum, qui tot labores in hac regione exantlarunt, gaudio videre possimus sanctæ nostræ religionis decreta libere vulgari & accipi à multis, Deique nostri honorem & gloriam, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditionem longe lateque propagari. Non præteribo animi lætitiam, quacum eruditi inter Sinas ordi-

ordinem illum honoremque rerum Ecclesiasticarum & ceremoniarum audiunt, quumque intelligunt Episcopos nobis esse, quos ipsi Mandarinos vocant, aliosque rerum sacrarum magistratus. Sed præcipuam voluptatem hauriunt ex ijs quę de Pontifice Maximo narrantur; vt quod ad tantum fastigium non hereditario iure, sed innocentiæ & sanctitatis suffragijs ascendatur; quod Reges omnes ei obtemperent; quod quum ab illo res omnes quæ ad sacrorum religiones moresque probos pertinent, librique omnes qui de his rebus conficiuntur, vnà & auctoritatem obtineant, tamen reperiantur qui oblatam sibi tantam dignitatem recusent. His nos rebus in spem inducimur, eos quæ tam libentes audiunt atque approbant, Deo annuente, sequuturos, neque in mores grauate inducturos quod verbis tantopere dilaudant. Veruntamen vt hæc quæ de Pontifice Maximo dicuntur à nobis minimè obscura sint vel ambigua, neque ipsi dissentienti, nobis tamen sane quædam ridicula in hoc genere euenere. Vnum est, quod quum ex nobis audiunt, modestiæ caussa nõnunquam esse qui Pontificatum Maximum defugiat, confestim sciscitantur: Ecquid idcirco recuset quod certus sit suam excusationem minime acceptum iri? rati scilicet, neminem caussam dicturum quin Pontifex fiat, si eam locum

habitu-

habituram esse cognoscat. Id scilicet ex suis moribus loquuntur. quoties enim magistratu aliquo augentur à Rege, extemplo libellum ei mittunt quo mille rationibus eum honorem deprecantur. at nihil tamen eis accidere posset infelicius quam si deprecantibus Rex obsequeretur. Quod etsi plerumque non facit, tamen cum incredibili, vt ipse vidi, deprecantis dolore, interdum facit. Solemne nihilominus est, vel cum hoc periculo excusationem afferre, & in speciem oblatam dignitatem ab se amoliri. Alterum visu dignum est, quod complures nobis affirmant, vbi in patriam redierimus procul dubio ad Pontificatum nos euectū iri. caussam afferunt, vel potius mussant inter se, quod postquam eorum libros vidimus atq; peruoluimus, qui, vt ipsi sentiunt, soli perfectionem absolutionemque scientiarum continent, Europæos omnes homines longo iam interuallo superemus. Tanto apud illos in honore & precio sunt Philosophorum aliorumque libri, in quibus studium ipsorum omne versatur. Video ex ijs quę instituеram dicere, superesse complura, & nunc vsque eo egere temporis, vt ne summatim quidem ea, vt adhuc feci, perstringendi sit locus. quare faciendum mihi videtur, vt illa iam quidem prætеream, dum maiore aliquando ocio, meliore ordine ac non vti nunc tumultuario opere

& impe-

& impetu ea persequi liceat. Absoluam ergo has litteras si duo duntaxat addidero. vnum de feminis, sed paucis; alterum de Rege, eiusque domibus & famulitio.

Sinæ omnes, vt supra narraui, quot collibitum est, vxores habent: ea res dedecore, turbis rixis ac iurgijs inter ipsas ipsarũq; liberos, domos & familias cõfundit ac miscet. Quare nullum nostratium laudandorum finem faciunt, quum eos intelligunt vno matrimonio esse contentos; tametsi hanc beatitudinem ipsi necdum opere experiri velint. Certè hæc vxorum inter se, & proinde etiam à maritis alienatio animorum, stimulus erit, vti spero, ad leges diuinas, quæ præter vnam legitimam coniugem, ceteras omnes vetant, libentius amplectendas. Cetera nobis feminarum vita moresque iccirco ignoti sunt, quod ætatem intra domesticos parietes tenentur, neque vsquam nisi perraro ad matres, sorores aut valde propinquos consanguinitate, salutandos prodeunt in publicum. nam aliũ quempiam hominum adire, ne in mentem quidem illis venit. vidi interdum habitum feminarum vilium & operariarum, quibus in publico versari licet, minime sane sordidum aut indecorum. Per viam item alicubi offendimus nonnullas de plebe, instar fere virorum nostratium, breuibus vestibus succinctas, nullo præterquam

terquam in capite & pedibus discrimine. Interea quę feminis Sinésibus studio sunt, non postremum est, modicis esse pedibus, sic vt ęgre propterea ingrediantur, semperque lapsuræ videantur. Caussam necdum comperi neque ipsi Sinæ produnt, quando id pro venusto haberi sit cœptum. Sunt qui negent originem ab vllo studio leporis hausisse, sed quod feminis caussam adentam vellent domo exeundi.

Fuerunt Sinæ historiarum admodum studiosi ac diligentes, quas de suis regibus habent, plus quatuor annorum millia complexas. Sane si quid eorum libri fidei merentur, qui nonnihil etiam de diluuio meminerunt, tum ex ipsis, tum ex alijs diuersis historijs comperiri videtur, maiorem longe annorum numerum inter illud nostramque memoriam fluxisse, quam vulgaris nostrorum Chronologorum & frequentioribus probata ratio statuat. aiunt se aptam inter se & perpetuam historiam habere. Verum quia nihil mihi de horum librorum fide historiarumque veritate exploratum est, hoc missum faciam. Illud certum habeo, prodi quædam de eorum rebus deque regibus, qui quandocumque diluuium orbem oppresserit, nó multo post ea tempora extiterunt.

Inter eos antiquos Reges nonnulli tanta virtutis laude flouerunt, eaque excellentis cuiusdam virtutis exempla præbuerunt, vt naturalis legis obseruatione salutem assequuti credi possint. Neque illi idola vlla, sed vnum duntaxat numen cœli terræque auctorem coluisse memorantur. Ex his fuerunt, qui quum filios suos ceteraqui legitimos patriæ dignitatis hæredes, minus ad regnandum idoneos esse cognoscerent, illis abdicatis, ei regnum tradiderunt, quem omnibus prudentia atque integritate præstare compertum habebant. Fuit hoc regnũ tamdiu in multa minuta diuisum, donec in vnum coaluit. Quadringẽtis abhinc annis, vt prius dixi, Rex Tartarus totum tenuit; quem ducentis post. Pronzius Sina expulit. Is Tartarus tum alia sui monumenta, tum nonnulla mathematica instrumenta ænea reliquit Nanchini, quibus parià, certe non perfectiora in Europa reperiri, ijs omnibus est visum qui ea inspexerunt. Ex ijs vnum est globus orbis terrestris, gradibus, meridianis, parelisque omnibus distinctus alterum est astrolabium, quod in se tria complectitur. primum à Septentrione in meridiem; alterum ab ortum ad occasũm; tertiũ in aliam partem, altitudini locorũ, stellis, horis, alijsque similibus metiendis idoneũ. Tertium instrumẽtum est sphæra cœlestis. Sunt omnia ita ad vnguẽ & accurate facta,

nihil

nihil vt in ijs desiderare possis. Singulorũ diameter est amplius octo palmorum. Supra sunt Dracones ita apte collocati, atque accommodate ad suos horizontes, vt eorum ordinandorum, atq; adeo totius Mathematicæ disciplinæ peritissimum fuisse necesse sit qui illa constituit. Sina ille Bonzius qui Tartarum exturbauit, singulari sapientia animique robore fuit, ac de eius in rebus agendis prudentia, apophthegmatis, admirabilique dubijs in rebus consilio, multa memoriæ commendata circumferuntur. Huius adeo locuples testis est tanta vniuersi regni moles, institutaque omnia quæ ab ipso profecta, ad hanc vsque diem sancta inuiolataque custodiuntur. Is Magistratus, magistratuumque nomina mutauit, vt ferè solent ex alia familia ad imperium prouecti, regum etiam, dignitatum atque vrbium appellationes nouare; Rempublicam omnem tam distincte primoribus regni gubernandam commisit, vt quod Sinæ etiam prædicare solent, multis annorum millibus, sublata omni turbarum perduellionisque caussa, florere posse videatur. Qui enim hæc antea tentabant, prætores prouinciarum & potentiores Mandarini, in quorum manu administratio rei communis, exercitus & ærarij erat, ab eo in ordinem redacti sunt. Itaque qui nunc militibus imperant, nullam

habent curam soluendi stipendij; quique hęc curant nullum in milites imperiũ obtinent. Multum etiam authoritatem magistratuum attriuit, eamque in plures partitus est, opes item quorundam potentium, & locupletum sic accidit, nemo vt iam in regno multum posse dici possit. Memini me in libro quodam legere Hispanis litteris scripto regem quando suis tribunis nõ fideret, ob nimiam eorum potentiam, adiungere illis hominem de sua familia, qui eos obseruaret. Huius vero nihil est, quemadmodum neque alia quę narrat author de constitutis ab rege annonis, deq; magistratibus, in plures principes distributis. quæ profecto aliter habent, neq; eorum vestigiũ vllum extat, siquidem tribuni neque potestate, nec opibus valent, etsi non desit hominum turba, qui eis obsecundare iubentur, pluribus tamen in eosdem ius est. Quapropter ægrè vnquam, ad faciendam rebellionem præsertim in medio regno, vbi fere continentur, tantaque regis vicinitate conspirabunt.

Regum Tartarorum, eiusque qui illos regno exuit, sedes Nanchinum fuit, quo salubritate cœli, solique vbertate, nullus est in Sinis locus præstantior. Deinde vero quo Tartaros præsentior arceret, huc in eorum viciniam se contulit. Tametsi vero nunc nunquam desint è Tartaris latrunculi; tamen

li; tamẽ partim, quod gens tota in factiones hodie ſciſſa eſt, partim quod militari gloria non ſanè multum Sinis antecellunt, nihil prẹclari ab ijs patratur. Huic regi inſignia proinde vt Cæſari Aquila, & noſtro regi Leones cum caſtellis, ſunt Dracones. His omnia complentur, atq; adeo veſtes non modo ſuperiores, ſed etiam, vt ferunt, intimæ, in quibus filis aureis acu pinguntur.

Intuenti mihi huius regni fortunas, ſolus rex, reſque eius amplæ, illuſtreſque videntur. Neque enim, vt in Europa noſtra quicquam eſt, quod contra eius copias æſtimari poſſit. Itaque rex eſt longè omniũ rerum potentiſſimus, & vere magnus. Eius vectigalia ita prope immenſa ſunt, vt ea, niſi in ipſorummet tabulis, in quibus omnia ſigillatim perſcripta ſunt, legiſſem, cõmemorare dubitarem. Non quod mihi res certa non ſit (quo enim plura de hoc regno cognoſcuntur, eo minus.) ſed quod metuo ne nimis arduum mihi ſit, ijs quibus exploratа non ſunt hæc talia perſuadere. Vt ergo breui rationem computem, ſunt omnino huius regis prouentus in ſingulos annos millies & quingenties centena millia, quę ex argento ferè, auro, oriza alijſque rebus innumeris; plerumque tamen ex argento capit. Neq; incredibilia iudicabit eſſe, quæ dico, qui regionis amplitudinem, qui impoſita capitibus hominum; terris,

arboribus, omnibus denique prope rebus vectigalia attendet, cum interea nemo sit, qui regno tributi quicquam exportet. Verum vt magnus est censuum numerus, ita frequenter sunt eorum profundendorum caussę. Plurimi enim sumptu regio viuunt, vt Mandarini omnes, quibus à rege confertur annona, omnes milites, omnes regis propinqui, Eunuchi, aliudque vulgus hominum prope infinitum. Quare ingentes ab eo impensæ fiunt. Non tamen idcirco deest magna pecuniæ vis quæ in thesaurum recondatur, neq; dubito, quin ea nunc sit longe maxima.

Complura modica regna quæ Sinas circumiacent, huic regi parent, aut certe vectigalia sunt, tale est ab hac parte Coreanum & alia, quorum necdum nomina teneo, ab illa vero Malaca, Macaum, aliaque multa. non raro etiam ex ijs regionibus iniurias illi inferunt abductis, aut cæsis hominibus. Quæris fortassis, cur quæso his molestijs se non expediat & tantus rex tantilla regna sui iuris non faciat? Ad id principio respondeo, minime illi facultatem deesse: deinde narro rem compertam, sed nostris hominibus admirabilem. Neque Sinæ, neq; Rex cogitationem vllam de promouendis regni terminis suscipiunt, quod adeo verũ est, vt ne oblatas quidem sibi duas regiones sint accepturi. Longè vero ægrius, si

lon-

longinquæ essent. quod cum cæteris, tum Mandarinis præcipuè, ornatisq; hominibus infortunatum esse videatur, è suo regni in alias oras ex ire. Recens etiamnum, ac sanè illustre exemplum exstat in regno Coreano, quod cum Iaponij inuasissent, Sinæ suis terris quas illud attingit, præsidio futuri, numerosum eo militem miserunt. Verum postquam Iaponij nunciata sui regis morte sponte cesserunt. Sinæq; alterum tertiumve annum Coream tenuerunt, denique cũ reperiri non posset, qui ad eam administrandam domo vellet egredi, omnino deseruerunt; adeo nulla regem libido tenet imperij proferendi. Idem facturum crediderim si aliud quoduis ei regnum daretur in manus. De regnis vero sibi tributarijs nihilo magis est sollicitus, pẽdant quicquã nec ne. nam si non desunt id sui potius emolumẽti studio faciunt, quã regis metu. Itaq; facile passus est, Philippinas insulas quæ olim Sinis vectigales erãt, nihil iã sibi debere.

Est huic regi vt cæteris, vna coniux legitima, in qua deligenda nihil præter mores, & formæ venustatem spectatur, quando natalium nullus hic splendor est. Secundum hanc, alias sibi complures ijsdem conditionibus quæsitas, in concubinatum copulat. Harum liberi, cum ex legitima nulli nascuntur, regno potiuntur, quod non raro vsu venit,

nam & is qui modo regnat, quique illi succedet, ita geniti sunt. Nulla Deo deuota virgo perinde vt hæ fæminæ postquam ad regis connubium accitę sunt ędium septis arcetur, quippe non modo domo prodire, sed ne parentibus quidem aut fratribus loqui sinũtur. Nulla aut sanè perexigua sunt potestate, nimirum nihil præter id, quod forte precibus à rege obtinent, possunt. Seruitium porro omne cum regis, tum reginæ cæterarumque mulierum Eunuchis constat, quod profectò stirpe regia indignum est.

Sunt hi Eunuchi ad vnum omnes ex humillima regni fæce, quos parentes, cum præ inopia alere nó possint, teneros adhuc, Eunuchos ea spe faciunt, quod olim aditũ aliquem in regiam sint reperturi, At non eius sunt generis, cuius nonnulli in Europa, sed cuiusmodi Turcis sunt familiares. Eadem causa quæ parentes eo impulit, facit etiam vt nulla cura educati, nihil aut exiguum quiddam litterarum degustent. Eliguntur nonnunquam hi Eunuchi in demortuorum locum, ac primo, postquam huc accessi, anno plus ter mille cooptatos esse constat: competitorum vero viginti millia fuisse accepimus. Eorum diligendorum prouincia data erat ei Mandarino, quẽ ex primoribus esse dixi, eaque quæ regem attingunt curare, ac deinde Eunucho grandi na-

di natu, multaque apud regem gratia. Qui eo munere sunt digni à duabus potissimũ rebus animaduertuntur, formæ dignitate, & exercitatione, celeritateque linguæ. quã-obrem hoc eos experimento inspiciunt, vt duas voces, quæ, nisi à pronũciandi gnaris, ægre proferuntur, edicere iubeant. Lecti deductique in regiam diuersis muneribus occupantur, atq; inprimis morigerari antiquioribus Eunuchis iubentur, qui multiplici patientiæ, & moderationis exercitatione eos probant, atque vti se præclare dederint, ita ad altiora prouehunt.

Ex eisdem Eunuchis habet rex suos symphoniacos, & Mathematicos, qui vt eos vno verbo tibi expediam, rerum omnium sunt ignarissimi, nisi forte in speciem quid venditent. Nonnullis quandoque negotiũ datur, vti totam noctem excubent, atque obseruent, num quis cometa, aut quid simile in cælo appareat, regemque certiorem faciant. sunt & alia huius generis officia. Plerique omnes sunt pecuniæ vehementer auidi, atque vt sunt è sordibus emersi, vbi primum se apud regem gratiosos esse senserint, fastu quodam atque aduersum omnes insolentia tumescunt. Regi seruilem plane seruitutem seruiunt, siquidem in quamuis partem eius libidinibus obsequũtur, ac si vel tantillum deliquerint, acerbe vapulant, ab hoc præsertim rege, qui quæ-

uis offensiuncula accepta, flagris in eos sæuit vsque ad necem. Non tamen desunt nonnulli integrioribus moribus, neque vulgari prudentia, quorum consilijs rex in suis negotijs maiorisque momenti rebus vtitur: & quamuis non immodicæ fortunæ in eos ab rege conferuntur, sunt tamen ita lautæ, vt bene & honeste viuere, ac vestibus etiam sericis, eleganti opere ornatis abundare possint. multum illi indutu, amictumque à cæteris mortalibus dissentiunt. Tanta est eorum in regia colluuies, vt ad sedecim millia esse ferantur. Atque ex eo facile conijcere poteris, qualia ad virtutem exempla, qualesque institutores regi suppetant, qui inter has hominum sordes, interq; fœminarum quasillos educetur. Consueuerũt hi reges nonnullis è supremo Mandarinorum ordine quandaq; aspiciendos se præbere: cæterorum hominum neminem aspectu verbove dignantur. At nõ licet ei, cui conueniendi regis copia facta est, aulam eius intimam ingredi, sed ipse in quendam locũ prodit foras. Porro si nulla eoq; vspiam gens, in qua ius gentium iaceat, ei licet Sinas annumeres, nam vt nulla est ipsis cum cęteris populis consuetudo, ita ab eo more qui omnibus communis est, abhorrent plurimum. Itaque Legatis exterarum gentium haud aliter quam per caussam deferendorum munerum, aditus fieri ad regiã potest.

Neq; tamen interea ſpes fuerit videndi, aut cognoſcendi regis. Non enim inducunt animum credere quemquã vſquam gentiũ viuere, qui dignus ſit cum ſuo rege per legatos agere. Quod ſi qui mittuntur, vt annis ſuperioribus Iaponij de pactionibus quibuſdam legati venerunt, neque acserſuntur in conſpectum, neque audiuntur à rege, ſed à Mandarino, qui deinde de tota legatione refert ad regem. Iam honor, & humanitas quã ab ijs accipiuntur, tanta eſt quanta eorum de exteris exiſtimatio, id eſt prope nulla. Quiſquis acceſſerit, continuo in miſeras ædes contruditur, nulla exeundi poteſtate. Quare vaniſſimũ eſt, quod olim in Hiſpania legi, Sinarum regem quatuor habere aulas in quibus Regum legatis pro eorum dignitate daret operam, cum de eo Sinæ ne cogitent quidem, neque omnino huc Legati deueniant.

Regis pallatia quamuis operis elegantia Europæis inferiora ſint, multum tamen ingentium ſubſtructionum molibus præcedunt. Triplici muro ambiuntur in quadrum ducto, quorum primus iuſti oppidi amplitudinem exæquat. Intra primum ac ſecundum, alius quidam eſt, qui magnam domus partem, quam Eunuchi opifices, & viliores, vt ianitores, & ſimiles tenent. Intra primum, ac ſecundum domus

domus est regia non continens, sed in plures partes contra inter se proportione respondentes distributa, varijsque distincta domicilijs. Earum quælibet percelsa est, longa vero item, & cursus vnius equi patiens. In imo nulla est habitatio, sed moles lateritia longitudine & amplitudine ædificio equalis, non sine portis marmoreis, quibus ex vna in aliam transitus patet. Ea structura hominis altitudinem, aliquantum superat. Huic impositæ sunt pergulæ, porticus, aulæ, conclauia, quæ extrinsecus aspicientibus (introire enim nemini licet.) peruenusta videntur. Magnam partem lignis constant, auratis transennis, varioque picturæ ornatu. Tecta perquam scite fabricata sunt, imbricibus meliori longe forma quam nostrates, nam & croceo colore, qui regi propius ac familiaris est, tinctæ sunt, atque ita inter se aptæ, vt cęlatæ videantur. Denique hæc domicilia siue ob multitudinem, siue ob molem superbum mihi quiddam, ac magnificum esse visa sunt. Inter hos etiam muros amnis, cuius ante commemini, labitur, stratus, ad commeandum vtrimque, multis quadro marmore affabre constructis pontibus. His ijsdem duobus muris illa etiam regiæ pars claudebatur, quæ præteritis annis fulmine icta, atq; eius ardore consumpta est, quo tempore, ruentium ex alto lapidum impetu complura gran-

ra grandiora ſaxa eliſa, & ruinæ, vt ipſe vidi, & incendij retinent notas. Regem perhibent cum effuſas cælo flammas videret, imperaſſe filio, vt ſupplex cæli pacem expoſceret. neque enim ſe dignum eſſe, cuius preces audirentur. Sæpiuntur his muris Eunuchorum grauiorum ſedes, qui vt in collegijs aſſolet, vnà viuunt habitaculis diſcluſi. Sunt in eodem ſpatio montes, nemora, aliaque ad regis voluptatem comparata. Latè admodum excurrunt, quod vel tum didici, cum ad erudiendos de ratione aptãdorum horologiorum Eunuchos eo itarem. etenim prius mihi octo ingentia palatia tranſeunda erant, quam ad eorum domus accederem, neque pauciora vltra illas ſupererant. Eunuchi humiles fere habitant domos & male fabricatas, cæteroqui hominibus, quos regi ad manum eſſe oporteat, ſatis opportunas.

Sequitur tertius murus, intra quem rex cum coniugibus, liberis, ijſque qui familiares ſunt adminiſtri, viuit, quo nemini cæterorum pedem inferre fas eſt. Quapropter etſi hanc tertiam partem inprimis ornatam, viſuque dignam eſſe cognoram, vt ſanè videtur, nihil tamen de ea habeo quod diſerte commemorem. Vnum hoc non reticebo, me, cum in Eunuchorum Mathematicorum ædibus diuerſarer, turrim aſcẽdiſſe vnde in tecta, arbores, hortos

pro-

prospectus erat, visumque mihi esse, qui non paucas in Europa sumptuosas domos viderim, nunquam tam insanum, vastumque opus à me esse visum. Idcirco nunquã non illic magna operarum vis, omnis generis partim noua molitur, partim vetera reficit, ac tuetur.

Nunquam Rex, atque hic inprimis progreditur foras. Eius enim maiores semel quotannis in templum cælo & terræ sacrũ sacrificatum exibant: quare quo apparatu educatur equidem explicare non possum, nisi quod eius asseclæ adeo nihil augustum & splendidum præseferunt, vt mihi videatur non posse longo interuallo ad nostrorum regum maiestatem accedere. In principe filio promulgando morem hi reges tenent, sane quam barbarum, paucis enim exinde diebus cæteros omnes liberos domo in certos quasi fines relegant. Ibi, vsque ad pronepotes, regium in morem habentur, nulla inter ea spe vel parẽtum, vel maioris fratris videndi. Eorum posteri, Regis cognati audiunt, atque ab eo vectigal modicum quidem, quod tamen ad tolerandum victum satis sit, accipiunt, at nullo vnquam publico munere fungi sinuntur. Contrahunt, & matrimonia ineunt, cum quouis de populo, adeo nulla prope regiæ consanguinitatis rationem habent, neque vllam sibi iccirco eximiam authoritatem

tem vendicant. Alij regis affines, qui aut sorores aut filias, aut alias Regis vel Reginę propinquas duxerunt domum, etsi idoneis ad viuendum copijs non egent, non magno tamen sunt loco, neque magnifico cultu vtuntur, sed vtroque se à Mandarinis præuerti patiuntur. Maritus sororis huius Regis nos salutatum venit tribus quatuorue seruulis comitatus. Maritus item sororis eius, quæ filio principi nupsit, ad nos equo aduectus est, vno duntaxat circumpedes sequente. Idem comitijs interest quibus Doctoratus aut Mandarinatus candidati, inspiciuntur. Tantillum ad augendas eorũ fortunas Regis cognatio confert, vel affinitas.

Hic tempus, mi Pater, at non vel scribendi materies, vel amor tibi cæterisque partibus, & carissimis fratribus gratificandi me deserit. Quod si hæc pauco, quæ scribo, non displicuisse cognouero, equidem libenter de ijs quæ Deo opem præstãte, gratiaque nos sua amplectente, gerentur imposterum, vos faciam certiores. Illi vt me commendetis, enixè rogo.

Mitto vna cum his litteris duas tabulas, in quibus hoc Sinarum Regnum describitur quæ post ad me allatæ sunt, quam illas scripseram. Decreueram ea in linguam patriam transfundere, quæ Sinensibus

ſibus litteris adſcripta ſunt, quibus vectigalia omnia, quæ à ſingulis prouincijs regi penduntur, ædium, populique numerus, aliaque ſimilia explicantur. Verum excluſo tempore præſtare nō licuit. Quare nunc ſola ipſa exempla tranſmitto, alio anno eadem, ſi Deo cordi erit, explanata à me habebis. Rotunda & quadrata quæ in eis viſuntur, ſunt vrbes & oppida celebria, ac munita, nam quæ mœnibus carent, etſi crebriora ſunt, eorum tamen incolárum numerus non perſcribitur. Amnes diſtinctè admodum annotantur. Lineæ grandiores prouinciarum fines oſtendunt, tenuiores, & breuiore gyro, definiunt ditionem primariarum vrbium. Nos more noſtro alias tabulas vniuerſum orbem complexas, Sinenſibus litteris, confecimus, quas item ſequenti anno, quo interpretandi ſit locus, ſi Deus vitam noſtram tuebitur, exſpectabitis. Mitto & alias chartas complures, vti videas cuiuſmodi ſit Sinarum ſcriptura, & quale nobis diſcendum ſit litterarum genus. Pachini VII Idus Martias MDCII.

THE-

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XXXXI.

Quo continentur

PRAECEPTA QVAEDAM ET EXempla ad rem militarem & imperatoriam artem pertinentia,

à

NOBILI VENETO collecta.

VIX vllum publicum est munus quod maiorem prudentiam & dotes animi excellentiores requirat, quam imperatoriũ: vtpote quod in maximarum rerũ administratione versatur, & infinitam fere casuum varietatem habet propositum: quos longe prospicere, prudentis est; excipere, fortis; ad suas vero res & vtilitates accommodare, dexterrimi & ad rem militarem nati animi.

Imperator quis legendus.

Imperatoris eligendus est, qui hostium vires quam optime perspectas habet & cognitas.

Intrepida Imperatoris virtus siue fortitudo militum animas metu liberat, & spe ac confidentia eosdem implet.

Qui munitioni, obsidionis aut oppugnationis imminente metu, inclusus est vnice operam dare debet, vt quibus potest rationibus hostium conatus retardet, & deditionem de die in diem sub vario pretextu, differat ac prolonget; siquidem vna sæpe dies, aut hora, immò momentum liberationem adfert.

Ante annum MCDXCIV. quo tempore Ludouici Sfortiæ cæca ambitio & temeritas magnis Italiam cladibus involuit, longe alia in vsu erat belli gerendi ratio, quam hodie: siquidem nec tantis actibus nec tanto ardore ciuitates oppugnabantur; conflictus, vel potius velitationes fiebant quam leuissime & quasi perfunctoriè, sic vt qui mediocre tenebat imperium, non difficillime id tueretur. At paullo post eò res redijt, vt qui prœlio superior euasisset, omnino debellasse sibi videretur.

Eductis ab vtraque parte in campum copijs, sine vlla fere mora interposita, concurrebatur, deque rerum summa prœlio decertabatur. Hoc modo sine vllo fere vulnere regnum Mediolanum & Ducatus Medio-

Mediolanensis amissa sunt: maiores vero nostri vno ad Giaradaddam prœlio omne fere in Terra firma imperium perdiderunt.

Prima serenissima Venetorum Respublica alios belli gerendi, vel ducendi potius modos, commenta est atque vsurpauit, quando Nicolaus Vrsinus & Andreas Grittus Patauio se incluserunt, & Maximiliani I. Imperatoris, cum quo præter Imperium, Iulius II. Pontifex, Ferdinandus Rex Catholicus, Duces Ferrariæ & Mantuæ, & Ludouicus XII. Francorum Rex in exitium Venetæ Reipublicæ coniurauerant, impetũ eluserũt, & incredibili patientia ac fortirudine, vsi prædictæ Vrbis commoditatibus, omnibus periculis & ærumnis superatis, non hostibus tantum, sed Fortuna etiam ipsa inuita, terrestre imperium recuperarunt.

Eodem modo Prosper Columna Insubriam siue ditionem Mediolanensem contra Gallos, viribus multo superiores, feliciter defendit: iisdemque vsi artibus Borbonius, Piscariæ Marchio, & Carolus Lanoius, Francisci I. Gallorum Regis impetum sustinuerunt & fregerunt.

Hac ratione Carolus V. tremendæ Saxonis, Lantgrauij & Confederatorum potentiæ restitit: eademque Dux Albanus ad Ciuitellam regnum Neapolitanum contra Paullum IV. Papam, Henricum II. Gallorum Regẽ, & Herculem Ferrariæ Ducem tutatus est. Hodie quidem dici non potest quantopere

cuiusuis etiam victoriæ cursus retardetur, postquam fines validis præsidijs muniri, ciuitates vero, oppida & arces fossis, muris, propugnaculis, alijsque nuper inuentis operibus muniri cœperunt; adeo vt his non expugnatis, campestris victoria victori nō ita magnas vt olim adferat vtilitates, præsertim si subditi etiam in victos dominos eamdem retineant beneuolentiam & amorem, qualis quidem & tum & fere semper alias suos subditos serenissima nostra Respublica est experta.

Tantum abest vt imperator hostium vires contemnere, suas vero nimiopere circū-spicere debeat, vt eum etiam prudentiorem existimem qui vires suas hostilibus longe postponat.

Imperatorem quamuis hostium imbecillitatis conscium, nihilominus caute agere, omnibusq; contra hostem viribus vti oportet.

Eiusdem est ante omnia prouidere vt exploratores habeat fideles, sollicitos, prudentes, vel potius astutos, & consilio manuque promptos.

In bello multæ occasiones infructuose præterlabuntur, eò quod hostium res & necessitates in quibus versantur, aduersæ partis imperatori non sunt cognitæ.

Si imperatori miles dicto non sit audiens, nihil recte ac feliciter administrari potest.

Clearchus dux Lacedæmoniorum dicere solebat, sic imperatorem se gerere oportere vt sui

vt sui ipsum milites magis quã hostem metuant: alioqui enim nec diligentia ac sollicitudine in agendis excubijs, nec erga socios & amicos temperantia & modestia, nec fortitudine erga hostes vsuros.

Messis tempus commodum est in Expeditione versantibus, at obsessis damnosum.

Imperator qui primam quæ se ei opponit ciuitatem non capit, aut infecta re eius soluit obsidionem, magnam existimationis suę facit iacturam, & hosti ad idem aut maius quid tentandum, animum addit.

Quas ob caussas obsidio soluenda sit.

Ab vrbis aut oppidi alicuius obsidione discedi solet.

Primo, si multos & strennuos habeat propugnatores.

Si obsidentes insignem aliquam cladem acceperint.

Si obsessis auxilia sint summissa.

Si obsidentium copiæ attritæ sint & imminutæ, aut casæ & mapalia militum perdita.

Vt maiores alibi vitentur turbæ.

Pactione.

Vt vires in maius operæ precium conuertantur.

Si annona & comeatus deficiant.

Vt exercitus ante tempus periculosum in tutum reducatur.

Fatuus est, inquit Xenophon, qui omniũ in bello consiliorum & actionum felicem sibi pollicetur euentum.

Gabrias Athenienſium dux eum imperio aptiſſimũ iudicauit cui hoſtium res cognitæ eſſent & exploratæ.

Solent ad bellum gerendum imperatores eligi vel à generis ſplendore, vt olim à noſtris Dux Ferrariæ & Dux Vrbini; vel ab experientia & longo militiæ vſu, vt Dux Albanus à Carolo V. Imperatore & Philippo II. Hiſpaniarum rege; vel à ſpecimine aliquo prudentiæ & virtutis difficilibus temporibus edito, vt Iacobus Foſcarinus Eques & Procurator S. Marci: qui Dalmatiæ præſes, quum vltimo contra Turcas bello incredibile animi robur, ſingularem prudentiam, ardentiſſimum erga patriam amorem, & miram integritatem oſtendiſſet; vtpote qui ducis & militis officio ſimul fungens, quotidie contemtis omnibus periculis, ſe ſuumque corpus hoſti obijceret, pecuniam vero publicam tantum abeſſet vt interuerteret, vt etiam de ſuo vltra triginta ſcutatorũ millia publico honori & vtilitati impenderit, ſuis ſumtibus & victu homines quãplurrimos militaris artis peritos, vt & ægros & vulneratos fouens ac ſuſtentans, etiã in iuuenili ætate Maris ſiue Claſſis Præfectus, communi omnium ordinum conſenſu creatus fuit.

Iacobus Foſcarinus.

Imperatori rei militaris non admodum perito, Legatum ſiue Vicarium expertiſſimum adiungere oportet.

Cauſſa

Caussæ ob quas ciuitates siue oppida deditionem facere solent.

Solent vrbes deditionem facere, & in hostium venire potestatem.

Vi Tormentorum muralium.

Ad vitandam territorij vastationem.

Fame, siue annonæ inopiæ.

Lassitudine siue defatigatione.

Præsidij impatientia & rebellione.

Ciuium voluntate.

Propugnatorum aut comeatuũ defectu.

Auxiliorum procrastinatione.

Auxiliorum cæde & dissipatione.

Auxiliorum incertitudine.

Pactione.

Militum, præfectorum aut ciuium proditione.

Ciuium factiones & dissensiones Principibus admodum sunt perniciosæ. Quum enim fieri non possit quin earum aliqua Principis odium incurrat; solet plerunque ea quæ minus gratam atque acceptam se sentit, bello ingruente Principis hostibus sese coniũgere; tantum vt aduersarios vlciscatur. Vnde proditiones & imperiorum euersiones sæpe nascuntur. *Ciuium factiones noxiæ*

Brixia vrbe potente Anno MCDXXVI. Guelforum & Gibellinorum factionibus laborante, Guelfi quidem vehemẽti indignatione accensi, ob fauorem quem Dux Me-

diolanensis Gibellinis præstabat, cum hostibus eius colludere cœperunt: vnde factum tandem est, vt Petrus & Achilles Auogadri cum Aueroldorum familia & alijs facta cõspiratione, Venetorum exercitum, Francisco Carmagnola duce, per muros noctu deiectos receperint.

Sapienter ergo Franciscus Barbarus, singulari prudẽtia & fortitudine Senator, quũ eodem anno iam dictæ vrbi contra Ducem Mediolanensem defendendæ præesset, ac contra externam vim parum tutus sibi videretur, nisi intus omnia haberet pacata & trãquilla, summa dexteritate & sapientia (cuius viuũ exemplar in M. Antonio Barbaro vt facultatum, ita virtutum eius dignissimo herede videmus) Martinengorum familiam cum Auogadris reconciliauit, & serenissimæ Reipublicę potentem illam opulentissimamque vrbem durissimis temporibus conseruauit.

Vulgatum fere est maiores numero copias à paucioribus, sed virtute superioribus vinci.

In obsidione si dux vini defectum prouideat, recte fecerit si ante paulatim milites ad potandam aquam assuefecerit; ne subita illa mutatio, vt plerunque fieri solet, morbos gignat: quam quidem, qualis qualis ea sit, modo paullatim & sensim fiat, Natura facile & perfert & vincit.

Quis est militum, inquit Xenophon, tanto robore præditus, qui cum fame & frigore diu confligari possit?

In obsidionibus dux siue imperator omnia cum militibus communia habere, eadémque perferre ac pati debet.

In Brixiæ obsidione Franciscus Barbarus nunquam nisi in publico cibum cepit, & quidem secundario pane citra vllum obsonium, contentus: sicque validissimam hanc vrbem sub D. Marci insignibus & Venetorũ imperio conseruauit.

Multi quidem tranquillis temporibus Respublicas & imperia scienter ac feliciter administrarũt, at pauci turbulentis: quum hoc longe maioris sit molis. Inter paucos merito familiam ducere mihi videtur Lucas Michael, qui Cretam insulam contra hostem à Cypri expugnatione redeuntem, & illi quoque insulæ sanguinolento adhuc rictu inhiantem, fortissime defendit, & ad Rhetimnum, Sudam, Turlurum, Sandemetrium, Caneam, & Candiam munitissimis exstructis propugnaculis, regnum illud quasi inexpugnabile reddidit: insulanorum vero motus mira quadam & graui comitate repressit, pestilentis siue contagiosi morbi semina in ipsa herba extinxit, ciuium & militum animos naturæ quodam instinctu, & rationis ac morum diuersitate disiunctos, perpetuo amoris vinculo colligauit, famem denique aduecta ex *Lucas Michael.*

ipſorum hoſtium regionibus annona, ſubleuauit.

Quæ omnia quis nõ maximi animi opera eſſe iudicet? Habuit idẽ nõ vnum, ſed multos eoſque potentiſſimos inimicos: vno & eodẽ tempore cum tremendis Turcarum viribus, cum feri & indomiti populi rebellione, cum mutuis odijs, cum peſtis contagione, cum Famis rabie ei confligendum fuit. Sed ecce tibi mirificam hominis virtutem. Repulſi Turcæ, trepide ſe vnde venerant receperunt; ſeditioſi multo quam antea obſequioſiores facti ſunt; Peſtis & Fames abſceſſerunt: omnes denique magni & parui, milites & ciues, Itali & Græci ſummis honoribus magiſtratu abeuntem proſequuti ſunt, hodieque nomen eius ſummopere amant & colunt.

Idem quoque populus ſingularẽ ſuam obſeruantiam & affectum erga hodiernum ſereniſſimum Venetæ Reipublicæ Principem, Paſchalem Ciconiam, ſummum militiæ in prædicto regno tum præfectum, poſtea vero Caneæ Procuratorem, oſtendit, ſtatuam ei ponendo, quæ maximorum ipſius beneficiorum & rerum fortiſſime geſtarum perpetuũ eſſet monumentum.

Quid de Paullo Contareno dicam? cuius tanto maior virtus fuit quanto is paucioribus copijs Zacynthum inſulam, præter omnium ſpem & opinionem, contra immenſam Turcarum claſſem defendit ac propugnauit. Quem diſcedentem annõ omnis ordinis, ſexus, &

ius, & ætatis homines ad Nauim vsque quam in scensurus erat, comitati sunt? annon plateas quacumque ibat, vestibus & tapetibus stratas vidimus, vt super ijs tamquam populi Seruator incederet? Fuit hic Dionysij Cõtareni prudentissimi Senatoris filius, frater Andreæ Contareni disertissimi Oratoris, & Sebastiani digni patre Senatoris, nec non Ioannis Baptistæ naualis prefecti: & maximis honoribus perfunctus, æternam nominis memoriam & gloriam suis reliquit.

Sine annona friget omnis militum virtus, ac nihili est imperatoris prudentia, quũ Venter auribus careat. *Annonæ necessitas.*

Imperatoris prudentia & dexteritate nõnunquam maiores res geruntur, quam magno militum numero & robore.

Imperatorem copias sæpe recensere ac lustrare oportet, ne imminuto forte exercitu, maius quid viribus aggrediatur, damnumq; accipiat.

Sic Franciscus I. Galliarum Rex, copias suas vero maiores æstimans, ad Ticinum profligato exercitu, captus fuit.

In Hieronymo Zane S. Marci Procuratore, & generali Maris præfecto (cuius conatibus si non maligna fortuna aduersata fuisset, hodieq; in Cypro insula S. Marci & Venetorum insignia conspicerentur) singularis eluxit industria, qua ad Corcyram, Zacynthum, Cephaleniam, & Cretam classem Venetam nautis & classiarijs refecit, & vigi-

 lantia

lantia sua sinistrum fatum, quo illa afflicta fuerat, superauit.

Exercitus, præsertim locis periculosis, pedetentim ducendus est, ne itineris longitudine & asperitate miles defatigatus, hostium iniurijs opportunus fiat.

In itinere faciundo imperatorem consilia sua diligenter celare, præmissisque exploratoribus quocunque eundum est, tutane sint omnia, inuestigare oportet, eum vero seruare ordinem, vt primi sequentibus semper in conspectu sint, quo si necessitas ferat, vnus alteri quam promtissime succurrere queat.

Noctu iter summo cum silentio facere exercitus debet: nam vt interdiu oculi, ita noctu aures vigilum munus obeunt.

Caueat quoque imperator, ne nocturno tempore exercitum distrahi ac disiungi patiatur: siquidem in ordinem tum restituere milites perdifficile est.

Ii militiæ duces, qui imperio absoluto carent, sed quibus Prouisores (vt Veneti vocant) & alij consiliarij rerum gerendarum arbitri, adiuncti sunt, si supremi muneris honore non contenti, nimium sibi tribuant, & spretis omnium aliorum cōsilijs, suas pertinaciter opiniones sequantur, eaque quæ ipsis visum fuerit, sine vlla mora fieri potius quam quidquam contra in consilium vel me-

dium

dium adferri malint, vix quidquam feliciter aggrediuntur, multo minus perficiunt.

Minime expedit imperium à perito, & forti homine ablatum nouo quantumuis illustris prosapiæ committere.

Quum Ioannes Austrius sanctæ inter Pontificem, Regem Catholicum & Venetã Rẽpublicam confederationis dux supremus, accepisset, Ludouico Mozenico Venetorum Principi & senatui visum esse, Francisco Duodo triremium præfecto missionem dandã; Didacum Gusmanum de Silua iussit intercedere, ac rogare, vt ne Duodum ab officio reuocarent, in quo tres iam continuos annos ita versatus esset, vt & ipsi Reipublicæ & omnibus confederatis Principibus opera ipsius vtilissima fuerit & porro quoque sit futura. Quid ad hæc Princeps & Senatus? Responderunt. Multis experimentis sibi quoque Duodi tam fidem quam virtutem esse cognitam; quæ quo maiores sint, eo quoque magis sibi in conseruanda tanti viri valetudine elaborandum esse. Quum igitur quiete ei ad salutem opus esse medici dicant, placere sibi, vt is Patauium ad curandam valetudinẽ aliquantisper secedat. Quo testimonio quid homini forti honorificentius potuisset contingere? Id ergo ad perpetuam rei memoriam hoc loco consignare nobis visum est, vt sciant posteri Ioannem Austrium, hominis virtute & auctoritate permotum, Franciscum Duodum in classe secum retinere voluisse,

fuisse; Serenissimam vero Rempublicam etiam contra suum commodum & vtilitatem eidem missionem siue licentiam munere se abdicandi dedisse.

Duæ sunt præcipuę imperatoriæ virtutes Fortitudo, & prudentia. Vtriusque singulare specimen Iacobus Soranza, huius quidem ad S. Mauram, illius ad Nauarrinum & Cerigem, primus in hostem ruens, dedit.

Xerxes terrestri decies centenum millium hominum exercitu, & mille nauium classe Græciam inuasit: cui ad Salaminem Themistocles cum trecētis Atheniensium, Lacedæmoniorum, & aliarum in Græcia gentium nauibus sese opposuit. Quum vero animaduerteret, iam inibi esse vt Græcorum classis, è multis, vti dictum est populis, (quorum diuersa studia ac diuersi erant fines, plerisq; rem priuatam magis quā publicā respiciētibus) cōtrācta, propediē dilapsura esset, nihil vero tale de Persarū classe, vtpote quæ ab vnius pēdebat imperio, sperare posset: omnib. modis hostē statuit ad prœliū prouocare, atq; etiam cum immortali nominis sui gloria, victoria est potitus.

Ascanius Cornia quū Anno MDLXXI. Pōtificis, Regis Catholici, & Venetæ Reipu. classes cōtra Turcā Venetorū imperio, præcipue insulis inhiātē, coijssēt, vt prœliū committeretur suasit: quū spes nō esset fore vt bellū ducēdo Turcarū potētia elāguesceret; sed metus potius, ne confederatorū vires aut

belli

belli diuturnitate, vel sinistro casu attererẽtur, aut soluto fœdere, plane dilaberẽtur. Id consiliũ sequuti ceteri, memorabilẽ illam ad Naupactũ victoriã à Turcis reportarũt, quæ vniuersum Christianũ orbẽ mirifico gaudio impleuit, & in meliorem spem erexit.

Altera caussa cõmittẽdi prœlij est quãdo eius dilatione hostium vires incrementum capturæ sunt. Cum paucis enim quam cum pluribus confligere præstat.

Anno MCDXCIV. Ferdinandus Aragonius Calabriæ Dux, Gallicis & Sfortianis copijs, quę in Romaniam iam venerãt, prœlij copiam non semel fecit, quod sciret earũ numerum breui valde auctum iri: sed Galli suorum aduentum pręstolantes, locis munitis se continuerunt. Et profecto magna esset stultitia cum eo hoste manus conserere quem breui scias deditionem facturum.

Anno MDXXV. Franciscus I. Francorũ Rex Ducatum Mediolanensem oppugnaturus, Ticinum (Pauiam vulgo) obsedit. Ibi Borbonius, vnà cum Neapolitano prorege, & Marchione Piscariæ, non tam numero quam veteranorum militum virtute superior, prœlium cum eo commisit, has quidem ob caussas. Primo quod in Cæsarianis castris magna esset pecuniæ inopia, sic vt exercitus breui sponte dilapsurus aut secessionem facturus videretur: vnde siue à prœlio abstinerent Cæsariani, siue funderentur, in metu amittendi Principatus versabantur. Deinde *Pugna ad Ticinum*

paullo

paullo ante idem Rex Albaniæ Ducem cum validis copijs ad regnum Neapolitanum oppugnandum miserat, quod quidem regnum omnibus præsidijs destitutum magno in periculo futurum erat, nisi ad Ticinum prœlio patrato ac parta victoria, hostis reuocatus esset. Quum denique Rex ipse in castris esset, Cæsariani eo capto, non minora victoriæ suæ emolumenta, quam stragi damna proposita videbant. Et sane prædicti Regis captiuitas Caroli V. Imperatoris rebus plus vtilitatis attulit, quam Mediolanensis Ducatus amissio damni fuerat allatura.

Caussæ ob quas prœlium declinandum.

Quando clades plus nocitura, quam victoria profutura est: videlicet si prœlio inferior vnà cum exercitu imperium quoque sue ditionem sit amissurus; superior vero nullum aliud quam cædendis hostibus, lucrum facturus.

Quando vires nostræ neque numero neque militum virtute hostium viribus pares fuerint.

Quando spes est defatigandi ac mora frãgendi hostis, ac credibile est exercitum eius non diu sub signis mansurum.

Cum hoste quoque desperato, feroce & nostris militibus formidabili nõ facile confligendum.

Nec in loco hostib. q̃ nobis opportuniore.

Abstinendum quoque à prœlio, quando metus est ne à nostris hosti prodamur.

Item quando noua sociorum exspectantur auxilia.

Quando denique vel pacis vel induciarũ spes se ostendit.

Boni imperatoris est non minus fugiendi quam vincendi hostis artem tenere.

Antigonus Rex retrocedens cum exercitu, dicere solebat: Non equidem fugio, sed fortunam & commodum meum, quæ non à fronte sed pone me video, persequor.

Non minorem disciplinæ retinendæ atque exercendæ quam hostis fundẽdi curam imperator habere debet: siquidem vbi non viget disciplina militaris, ibi quoque exigua victoriæ spes est.

Nicolaus Donatus triremibus condemnatorum præfectus, tam pacifice id muneris administrauit, vt interdum ne gry quidem intra ipsius triremem audiretur.

In maritimis expeditionibus prægrandes Naues exiguo sunt vsui; vtpote quæ minorum agilitati sunt impedimento.

Adrianus Bragadinus fortissimus expertissimusque belli dux, Anno MDLXXV. triremium præfecti munere fungens, Iacobo Foscarino generali classis præfecto, scripto consignato ostendit rationem, qua tres maiores naues ita armari possent, vt quinquaginta minoribus excipiendis pares, ac classi magno ad victoriam futuræ sint adiumento, si nimirum vna in medio, & duæ alteræ vtrimque ad latera collocarentur.

Caussa

Caussæ committendi prœlij.

Spes victoriæ.

Imperij amplificandi, aut conseruandi imperij cupiditas.

Vt accepta ante deleatur ignominia, & existimatio recuperetur.

Vt rebelles reprimantur.

Ne oppidum aliquod deditionem hac lege pactum, si intra certum tempus non præsto sit auxilium, in hostium veniat potestatẽ.

Vt hostis ab obsidione repellatur.

Si exercitus sine damno reduci nõ queat.

In rei pecuniariæ inopia.

In annonæ defectu.

Si aliter effugiendi spes nulla sit.

Vt hostis loco sibi opportuno, nobis dãnoso, deijciatur.

Ad prohibendum, ne duo exercitus coniungantur.

Si spes sit, hostem ex improuiso & imparatum posse opprimi.

Vt socij in fœdere & cõcordia retineantur.

Si metus sit, hostium copias auctum iri.

Quando nullum aliud rebus nostris superest remedium.

Quando periculum est ne vires nostræ longiori mora atterantur.

Quando omnia sociorum auxilia coniũcta habemus.

Quando vel numero vel virtuti militum nostrorum tutò, confidere quimus.

Princeps alienam regionem inuasurus cauere debet vt nullas hostium arces à tergo relinquat, sed proximis & obuijs quibusque occupatis, ad longinquiores velut vno tractu procedat.

Nihil à tergo relinquendum.

Carolo VIII. Franciæ Rege bellum in Italia gerente, in Consilio disceptatum fuit, quanam via ad ducendum in Neapolitanũ regnum exercitum, vtendum esset, vtrum per Romaniam in Brutios, aut per Hetruriam & territorium Romanum rectà Neapolim versus eundum? Tandem vicit eorum sententia, qui Hetruriam & Pontificiam ditionem vnde hostis facile nocere poterat, minimè à tergo relinquendas censebant. Quocirca rex virium suarum metu Florentinis primum, deinde Pontifice quoque ad suas partes traductis, prædictum regnum tanto facilius occupauit.

E contra quum Paullus IV. Pontifex, Henricus II. Rex Franciæ, & Hercules Ferrariæ Dux contra Carolum V. Imperatorem & filium eius Philippum fedus inijssent, & ab Gallorum rege Dux Guisiæ valido cum exercitu in Italiam missus, proposita de belli gerendi rationibus consultatione, Pontifex, qui Neapolitanus erat, & suos honoribus & emolumentis cumulandi spem conceperat, suasit vt in Neapolitanum regnum vis fieret; Ferrariæ Dux è suis finibus Parmam oppugnari volebat: Galli

vero Insubriæ primũ inuadendæ & Mediolani expugnandi auctores erant, quod ob vicinitatem facile defendi, & inde etiam impetus in regnum Neapolitanum commodissime posset fieri. Quum autem Pontificis, cui Rex in omnibus gratificari volebat, obtinuisset sententia, Gusius relicto à tergo Mediolano, in agrum Neapolitanũ profectus, re infecta ac non sine dãno rursus inde discedere coact⁹ fuit: qui si Mediolanum aggressus fuisset multorum iudicio, non difficilime vrbem occupare potuisset.

Post insignem aliquam victoriam, in primariam statim regionis vrbẽ vis conuertenda est: siquidem caput cetera membra facile sequuntur.

Ferdinandus Rex Neapolis dicere solebat, si Ioannes Dux Andegauensis post victoriam Anno MCCCCLX. ad Sarnum partam statim Neapolim ipsam oppugnasset, facilem eius, atque adeo totius regni habiturus fuisset occupandi rationem. At dũ is in minorum gentium oppidis oppugnãdis tempus consumit, Ferdinandus copiarũ reliquias recollegit, quibus Gallos postea profligauit & regno eiecit.

Illud ipsum est quod in famosissimo illo & omnibus fere numeris absoluto Carthaginiensium imperatore nonnulli desiderarunt: ad quem post Cannensem victoriam diu cunctantem, nec Romam, vti factum

opor-

oportebat, ſtatim exercitum ducentem, Maherbal dixiſſe fertur: *Vincere ſcis Annibal, ſed victoria vti neſcis.*

Xenophon quidem in libello De Cyri inſtitutione, Cambyſem militaria aliquot præcepta filio tradentem introducit: quæ quum digna ſint vt omnium imperatorũ & militiæ ductorum animis inſculpantur, nos hic annotamus.

Enitere, inquit, quantum potes, vt cum tuis inſtructis, hoſtes non inſtructos deprehendas; cum armatis inermes, cum vigilantibus dormientes: conſpectos abs te, quum ipſi te non viderint; atq; etiam vt locorum difficultatibus impeditos, ipſe in loco munito excipias cõſtitutus. Et qui fieri poterit, inquit Cyrus, vt aliquis hoſtes in huiuſmodi erroribus deprehendat? Quia enim multa talia quum vobis, inquit Cambyſes, tum hoſtibus accidere neceſſe eſt. Nam vtriſque victus expedienda ratio eſt, ſomnus vtriſq; capiendus, & tempore matutino ad naturæ neceſſaria prope ſimul vniuerſis eſt ſecedẽdum; & itineribus, qualiaqualia fuerint, talibus vtendum neceſſario. Quæ omnia conſideranda tibi ſunt, vt vbi maxime vos imbecilles animaduerteris, ibi ſumma cautione vtaris: vbi vero hoſtes facilime opprimi poſſe ſenſeris, ibi potiſſimum eos adgrediare.

Xenophontis locus ex libro 1. Pædiæ.

Verum an duntaxat in his, inquit Cyrus, meliori esse conditione licet, an etiam in quibusdam alijs? Imo in alijs multo magis, inquit Cambyses. Nam in his plerique omnes accuratas adhibent cautiones, vti quibus esse sibi opus intelligant. Qui autem fallunt hostes, possunt eos vel iniecta fiducia incautos opprimere, vel concessa insequendi se facultate, perturbare ipsorum ordines; vel simulatione fugæ adductos ad difficilia loca, inuadere. Oportet vero te, fili, qui hęc omnia discendo cognoscere cupis, non ijs duntaxat vti quæ ab alijs didiceris, sed etiam de ingenio tuo quasdam aduersus hostem molitiones excogitare: quémadmodum & Musici non ijs tantum, quos didicere, modis vtũtur, sed alios etiam nouos facere student. Ac quæ noua sunt, & ipso quasi in flore, vehemẽter illa quidem in Musicis quoque probantur: verum multo magis in rebus bellicis nouę machinationes laudem merentur, quippe quæ hostem decipere facilius possint. Quod si tu, fili, nihil aliud in homines tranferas quam eas ipsas molitiones quas aduersus minutas admodam bestias excogitare solebas, non te plurimum in rationibus, quibus hoste superior euadas, inueniendis profecturum existimas? Tu hyeme sæuissima noctu surgens, aucupatum ibas, & prius quam aues se commouerent, iam eis erant abs te parata retia; iam

iam area versa non versæ similis erat. Præterea quædam aues sic erant abs te edoctæ, vt tuis quidem illæ commodis seruirent, sui vero generis aues in fraudē pellicerent. Ipse in insidijs ita te abdebas, vt illas tu cerneres, ab illis cerni non posses. Etiam studiose dabas operam, vt aues prius trahendo anteuerteres, quā fugerent. Rursus aduersus leporem, quod is in caligine pastum quærat, interdiu vero fuga sibi consulat, canes alebas, qui odoratu eum vestigarent. Et quia repertus celeriter se in fugam conijcere solet, iccirco canes alios habebas ad hoc institutos, vt è vestigijs eum insequendo caperent. Quod si horum quoque canū vim lepores euasissent, indagabas eorum vias, & ad quæ loca potissimum fugerent, in illis retia visum fallentia tendebas, vt illapsus in ea lepus, ipsemet in illa, cócitatiore cursu se indueret. Atque vt ne hinc quidem aufugeret, speculatores eius quod accideret constituebas, qui de propinquo celeriter accurrerent. Ipse à tergo clamorem ad leporem vsque pertingentem tollens, territabas eum, vt improuide procurrens caperetur; qui autem ab anteriori parte in insidijs erant, & retia seruabant, facile tua opera latebant, quod abs te silere iussi fuissent. Quamobrem, vt aiebā antea, si huiusmodi quædam aduersus homines quoque moliri volueris, equidem haud scio an vl-

lum ex hostibus superstitem relicturus sis.

Quod si aliquando necessitas obueniat, vt in planitie campestri, marte aperto, armatis vtrisq; prœlium sit conserendū: tum vero adiumenta, quibus superiores euadamus, multo ante cōparata plurimū valent. Sunt autem hæc: si corpora militum probe fuerint exercitata, si probe quasi exacuēdo redditi acres animi, si probe rei militaris artes meditatæ. Præterea necesse est hoc etiā scias, quoscumque censes æquum esse tibi parere, eos omnes existimaturos, æquum esse vt tu ipsis consulendo prospicias. Itaq; nunquā tibi deponendæ sunt curæ, sed prouidēdum noctu quid subiectos imperio tuo facere velis vbi dies aduenerit; interdiu, quo pacto se res nocturnæ quā optime sint habituræ. Qua vero ratione instruendus sit ad pugnam exercitus, quo pacto vel interdiu vel noctu, vel per angustas vel per latas, vel per montosas vel campestres vias ducendus; quo pacto metanda castra, nocturnæ diurnæue, excubiæ cōstituendæ. ducendus in hostem vel reducendus miles; quo pacto præter vrbem hostilem faciendum iter, exercitus ad murum adducendus vel abducendus; quo pacto vel saltus vel fluuij transeundi; qua ratione vel à copijs equestribus, vel à iaculatoribus, vel à sagittarijs cauendum: tum si tibi explicatum in cornua exercitum ducenti, hostes se obuij ostētent,

tent, quo pacto sit eis acies opponenda; sin eum phalangis in morem instructum ducenti, ex alia quauis parte hostes appareant, non autem à fronte, quo pacto ducendus sit tunc in eos miles: qua ratione possit effici vt quid hostes rerum agant, sentias; tu quid instituas, prorsus ab ijs ignoretur: hæc igitur omnia quid tibi commemorem? Nã quæcumque comperta mihi erant, audisti sæpius; & ceteroqui si qui harum rerum periti videbantur, eorum neminem neglexisti, nec rudis & imperitus talium rerum mansisti. Quapropter ad quæuis euenta, vt arbitror, his vtendum erit quæ tibi quouis tempore potissimum ex vsu fore videbuntur. Etiam hæc ex me, fili, maximi sane momenti discito. Nunquam neque pro te solo, neque cum exercitu sacris non litatis & contra auspicia periculum adeas. Nam cogites velim homines nõ nisi de coniecturis res gerendas suscipere: quum plane nesciãt vnde sit ipsis boni aliquid exspectandum. Licet hoc de ijs quæ accidere solent, intelligas. Nam fuere complures, ijque hominum opinione sapientissimi, qui multis auctores exstiterunt vt bellum aduersus eos susciperent, à quibus illi deinde, qui persuaderi hoc sibi passi fuerant, sunt euersi. Multi præterea multos & priuatos homines & respublicas euerterunt, à quibus euectis opera sua,

maximis sunt deinde malis affecti: Multi eos quibus amicis vti poterant, collatis in eos & acceptis beneficijs, quum seruos esse suos quam amicos mallent, ab ijsdem mulstati pœnas dedere. Multi vita iucunda, coniuncta cum possessione mediocris alicuius partis, non contenti, qnum omnia suam in potestatem redigere cuperent, illis etiam quæ possidebant exciderunt. Multi aurum quod tantopere votis omnium expetitur, consequuti, propter hoc ipsúm perierunt. Itaq; humana sapientia nihilo certius quod optimum est eligere nouit, quam si quis hoc agat quod sors obtulerit. Verum Dij immortales, fili, omnia norunt, & preterita & præsentia, & quis singulorum futurus sit exitus. Ijdem hominibus se consulentibus, quibus quidē propitij sunt, quę suscipienda vel non suscipienda sint, ante significant. Neque vero mirandum nón ipsos omnibus velle consulere; quando illorum curam gerere quos complecti studio suo nolint, nulla necessitate coguntur.

Hæc apis illa Attica: cui tanto maior fides habenda, quod non scriptor tantum bonus, verum etiam miles fuerit, adeoque ipse exercitum, & quidem in magnis rerum angustijs, feliciter duxerit.

Illud quoque operam dare imperator debet, vt si forte in suo exercitu aut comitatu virum aliquem prudentem & cordatum

tum, quamuis priuatę fortunę aut humilioris conditionis habeat, eius consilium & sententiam exquirere; ac si recte atque è re consuluisse videatur, sequi, atque etiam exsequi non erubescat. Sic Fridericus Aragoniæ Rex bellum cum Ludouico Ardegauensi Francię rege gerens, stipendiarium habuit Gasparem Vgolinum de Simeonibus, nobilem Aquilegiensem: qui rogatus à Rege, quanam ratione id in regno administrādo efficere posset, vt à subditis amaretur simul & timeretur? respondit: Si ius æqualiter omnibus dici procures: si feminarum honorem & pudicitiam defendas: si denique operam des vt regnum tuum rebus omnibus necessarijs, quantum fieri potest, abundet. Sic enim immortalem tibi vitam subditi exoptabunt. Quod prudentissimū responsum ac consilium Regi tantopere placuit, vt non in consilium tantum, verum etiam in amicitiam & quasi contubernium eius auctorem receperit, & multis immunitatibus & priuilegijs tam ipsum quam eius posteros, etiam Regibus non inseruientes, donarit: quibus etiamnum illi fruuntur.

Quibus artibus amor & metus subditorum conciliari possit.

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XLII.

Quod est.

N. SPANNOCHII EQVITIS, DE *inuadendo & subiugando Angliæ regno ad Regem Hispaniarum catholicum*

EXHORTATIO.

QVum piratę illius Angli Frãcisci Draconis, tot annos iam Hispaniam, ac proinde vniuersum orbem infestantis odium; tum singulare V. Maiestati inseruiendi studium ac zelus monet me, vt scriptum hoc breue V. M offeram; quod vt V. M. æquo animo accipiat, & audaciam hanc meam bonã in partem interpretetur, humilime rogo atque oro.

Quanto pacis studio M. V. vt bonum & Christianum decet Principem, teneatur, ex factis eius facile intelligi potest: quippe quę hactenus in id magis incubuerit quomodo sua regna tueri & conseruare, subditos in officio continere, & vicinorum beneuolé-

etiam sibi conciliare, quam alios quibus bonam & Catholicam V.M. intentionem disturbandi voluntas non deest, offendere posset. Quamuis autem in hoc M. V. consilium non damnem; multorum tamen Regum ac Principum tam è veteri quam recēti hostoria petitis exemplis demonstrare mihi facile esset, Regni alicuius ac Status conseruandi nullam faciliorem esse ac tutiorem rationem, quàm quæ in alieno acquirendo, atq; suo augendo imperio est posita. Cui quidem sententiæ hanc Maximam siue axioma tamquam fundamentum suppono: Eum scilicet qui finibus suis contentus, conseruationi tantum sui Status studet, alienum vero nihil acquirit. maleuolis hominibus tam voluntatem quam facultatem nocendi adimere non posse. Quæ quidem ratio apud V.M. magis quam vllum alium Principem valere debet, quū grande illud V. M imperium longe lateq; dispersum sit, ac maior potentiæ Vestræ pars ab inconstantissimis rebus, vento scilicet & aqua, id est, ab classibus illis ex vtraq; India venientibus dependeat, quas nullę etiā maiores vires aut consilia possunt defendere, sed totæ veluti in Fortunæ arbitrio sunt positæ. Piratā hunc, de quo dixi, videamus; qui nullis fere viribus fretus, totū orbem perturbat: nec quidquā prosunt cōtra eum à nostris hactenus vsurpata remedia.

Nec

Nec vero quieturum eum porro,ac ijs quę iam nimis multa fecit, contentum fore; quin potius post eum alios,opimæ spe prę de illectos,eamdem viam instituros verisimile est:ad quam rem eis vicinorum Principum acStatuum qui V.M.minus bene volunt,studia & auxilia non sunt defutura. Quare cõsultissimũ mihi videtur vt M.V. Angliæ regnum oppugnandum suscipiat; vtpote quod vnum Indicum illud cõmercium maxime interturbare atque impedire potest,quo quidem cõsilio ad conseruãdam Status vestri quietem nihil melius,nec hoc tempore perfectu facilius esse iudico, rebus omnibus adOrientem,in Turcia scilicet pacatis ac tranquillis quarum perturbatio prę ceteris omnibus Expeditioni huic impedimentum obijcere potuisset) ceteris vero vicinis Principibus ciuili bello ob religionem occupatis.

Et huic quidem V. M. conatui aliorum Principum studia & auxilia facile poterunt adiungi,Pontificis inprimis,cuius vt pręcipue hanc expeditionem feliciter perfici interest, ita milite,pecunia & precibus ad Deum vestræ Maiestatis res eum adiuturum dubium non est. Hispaniæ regna hoc quidem tempore, singulari Dei beneficio ac cæli benignitate rebus omnibus ad victũ spectantibus mirum in modum abundant, vt facile quamuis magnos exercitus alere,

ac ma-

ac maximam classem omnis generis commeatu instruere possint. Tum ea passim in V. M. portubus triremium ac varij generis nauiũ est copia, quanta ad multo maius quã Anglia est regnum subiugandum satis est. Non desunt militares tribuni, præfecti ac duces, tam terrestres quam nauales copiæ, pugnis innutritæ, & vinci pæne nesciæ; quæ tãto ad bellum hoc alacriores futuræ sunt, quod id Vestræ Maiestatis, vtpote Catholici Regis, nomine dignissimum, & pro salute Christianæ Reipublicæ susceptum esse intelligant. Sunt à Vestræ Maiestatis partibus caussæ iustitia, quam plerumque victoria comitari solet, quum Vestra Maiestas multis iniurijs ad hoc bellum sit prouocata: cui etiam tanto promtius milites nomina dabunt, quanto maior, vtpote in regno totius mundi delicijs affluentissimo, opulentæ prædæ spes est. Non ibi vlla militaris disciplina aut ars reperitur, nisi exiguum illud quod in Vestræ Maiestatis Schola didicerunt: nõ præsidia aut arces, vtpote quas exstruere regijs prohibitum est legibus in primis Henrici VIII. huius Reginæ patris. Verum quidem est Iulium Cæsarem multa tam equitum quam peditum millia ad regnum hoc subiugãdum olim adduxisse: at tum maior erat inhabitantium multitudo, vt ex historijs illorum temporum liquido apparet. Præterea nouæ quotidæ Cę-

sari

sari erant instituendæ oppugnationes, tum ad eas quas subiugârat regiones tuendas, copiæ minuendæ: quæ etiam sæpe rebellabant, adeo vt expulso Cæsari, multo deinde lõgius hostis quęrendus, ac proinde maiores copiæ adducendæ essent, quum tamen noua subsidia, ob nimiam distãciam, à Republica sperare non posset. Quid quod Anglia vniuersa tum velut vna mẽte & manu Cæsari sese opposuit: qui quamuis nullam aliam belli caussam haberet quam Imperij augmentum, nihilominus tamẽ regnũ hoc tã breui tẽpore, tanta cũ gloria subiugauit.

At nauales quidam Anglorum copias, & numerosas classes iactãt, & metuẽdas prædicãt. Hos exẽplis nostri tẽporis refellere satis est. Cõstat enim maximas Anglorũ classes vix vnquã plures quadraginta nauibus iustæ magnitudinis habuisse: & tamen credibile est eos omni copia pręsenti vsos fuisse, quippe qui scirent Hispanorum, quas illi obseruabant, classes, non paucioribus vt plurimum constare nauibus. Esto, ducẽtas contrahant, & plures, erunt tamẽ omnes ad piraticam faciendam quam ad nauale committẽdum prœlium vt aptiores, ita alacriores. Nec mihi quis heic insolentem Draconis audaciam objiciat, quæ nostra magis ignauia quã suo ipsius nititur valore, & quãdiu militari manu non retundetur, maius quotidie sumet incrementũ. At si dignũ aliquod

siquod tātis iniurijs cōsiliū ceperimus, dubiū nō est quin is tādē in rete pertrahi possit. Falluntur quoque qui vniuersam Anglorū gentē ad res mari gerēdas præ ceteris aptā esse existimant: quum cōstet in pugna illa nauali qua Marchio Santacrucius Gallicanam classem ad insulā S. Michaelis profligauit, primum fugæ initium ab Anglis factum esse. Soluat ergo tādem frænum iræ M. V. qua militum alacritas plurimum augebitur; quæ vbi semel intepuerit ægre postea iterū poterit inflāmari. Neq; enim spes est eiusmodi homines alia ratione ad officiū adduci posse, præsertim quum frequenti Indicarū opum deprædatione iā mirabiliter sint inescati. Neq; vero vllū ego video impedimentū, quod hanc Expeditionem remorari possit, modo res ea qua par est prudentia & industria administretur.

Quū vero iā regia Expeditio cūā non possit, nec si possit, debeat adornari, consultum mihi videtur, vt veterum Romanorū exēplo, bellū Reginę misso Feciali siue Heraldo denuntietur. Hac enim ratione omnis suspicio in reliquorū Principū animis è tanto apparatu nata, eximetur; & hosti maximos sumtus faciendi & peregrinas copias in regnū aduocandi imponetur necessitas quorū hoc vnū nō paucis regnis extremū peperit exitiū, quū scilicet peregrina subsidia illos ipsos à quib. euocati fuerāt oppresserūt & subiugarūt. Exēplo sit hæc ipsa de qua dicimus Anglia, quæ

quæ tamen ſimul & iugum accepit ab eâ natione quam in auxilium adſciuerat. Peregrini enim milites quum nihil aliud quam ſtipendium ſpectent, eo deficiente, continuo ad prædam & rapinas ſe vertunt. Nec ſane ſcio quomodo Reginæ ærarium tantis impenſis ſufficere poſſit, ſi quantæ in vnam Germanorum vexillationem impenſæ faciendæ ſint, cõſideramus. Ab his enim ſolis auxilium Angli ſperare poſſunt, Gallis inteſtino bello implicatis.

Eſto verò, introducat Angliæ Regina exteros milites cuiuſcumque nationis in regnum: quis non videt maximam inde cõfuſionem orituram, & ſubditos ipſos eam ob cauſſam magno in Reginam odio exarſuros, vt quæ tanti incommodi cauſſa fuerit? Sic ergo multi tum animi ſui ſenſa nudabunt, qui hactenus ea celarunt; nõ Catholici tantum, verum etiam quotquot incommodum aliquot ſenſerunt: quibus etſi omnino fidere Maieſtas Veſtra non poſſit, credibile tamen eſt aliquas inde turbas ad promouendum Maieſt. Veſtræ conatum, orituras.

Tres omnino, meo quidem iudicio, ſunt modi, quibus Angliæ Regina ſe contra V. M. defendere quodammodo poteſt. neque enim in hũc numerum illud venit, vt alios Principes contra M. V. ea concitaturam ſe ſperet; quũ ſtatus rerũ is ſit vt nemo facile

ad id

ad id induci se sit passurus. Primus illorum modorum est, vt accito in auxiliũ magno exterorum militum numero, nauali prœlio de summa rei decertet. Secundus, vt terrestribus tantum copijs se defendat. Tertius, vt diuisis copijs, tam Mare quam terram ipsam tueatur. Ad primum quod attinet, equidem si rei summa nauali prœlio committenda sit, certam M. V. victoriã promittere ausim, etiam si & nauium & classiariorum numero Angli sint superiores. Ea est enim nauium nostrarum fabrica, ea firmitas & aptitudo (quod longe maximi est momenti) vt quantæcumque classi quæ in plaga Septemtrionali contrahi possit, satis sit Classem vero in hæc nauium genera distinguo.

Naues quæ *Gabbiæ* vocantur, sunto sexaginta. Earum quæuis capiat milites 300. Sic erunt 18000. *Diuisio classis, & numerus militum.*

Gabbioni 25. & inter has magnæ illæ Lusitanę. Singulę vehant classiarios 400. Erunt in 25. 10000.

Galeazzæ sex, inque earum singulis classiarij 500. Fient ergo in his 6. 3000.

Galeræ quadraginta, quæ vehant singulæ classiarios 100. Erunt in his 40. 4000.

Pinassæ & *pattagiæ* quadraginta, inque his omnibus 3000. classiarij, ex Asturia, Biscaia & Guipuscoa conscripti.

Summa	Nauium	171.
	Classiariorum	38000.
In his sint	Hispani	16000.
	Itali	12000.
	Germani	10000.

His addendi sunt duo fossorum milliat nec inutiles fuerint mille aut eo plures equi quorũ ibi non magna est copia, vsus tamen, vt in regione plana & cãpestri, magnus est futurus. Quum vero Hispania longius absit quam vt inde commode nauibus aduehi possint; suaserim vt è Flandria sumantur, quæ ijs hanc ad rem aptis abundat.

Prælium nauale cō[m]mittēdum.

De reliquo belli apparatu, vt machinis, & quæ ad earum vsum pertinent, nec non alimentis, nihil dico, quod ea omnia Maiestati Vestræ paratu sint facilia. Id tantum rei caput est, vt eiusmodi apparatu instructa classis, quamprimum educatur, & hostem quærat, quem equidem pares ad resistendum vires non habiturum certo persuasum habeo. Quod si is tamen cum nostra concurrat, &, vt credibile est, vincatur; proximus quisque portus capiendus, & exscensio sine vlla mora in insulam facienda erit; interim vero naues subsidiariæ tam ex Hispanijs quam Flandria summittendæ, ad defensionem autem euntium & redeuntium volitantibus passim Galeazzis & Galeonibus. nec verendum est ne Angli classem suam semel profligatam facile

cile restaurare possint, quippe terrestri bello plus nimis occupati & distenti: alij vero ipsorum Confederati eiusmodi nauium numerum quo nostros infestare queant, ægre contrahent, quum experientia compertum sit, Confederatos plerumque in rebus magni momenti concludendis, nisi in primo factionum impetu, negligenter versari: vnde magnæ oriri confusiones solent.

Exscensione facta, etiam in portu non admodum securo, quod ad rotundas Naues parum interest, loco quam commodissimo munitio excitanda, & quantum satis ad eius defensionem videbitur, præsidio firmanda est. Inde, mea quidem sententia, exercitus contra Londinum regni caput & metropolim ducendus, nisi fortasse nauale prœlium tam cruentum fuerit, vt viginti quinque bellatorum millia non restent: quo casu vniuersi exercitus imperator & præsentem rei statum considerare, & tam suarum quã hostis virium rationem habere debet. Nec meum hoc consilium nimis calidum ac præceps videri debet: quum certum sit si in gentem aliquam quantumuis numerosam, diuturna tamen pace imbellem, ex improuiso vis fiat, omnes ingenti trepidare metu, & paucos qui in medium aliquid consulere possint, reperiri.

Londinum vrbs aggrediunda.

Exemplo sit Romanæ vrbis sub Borbonio,& multo recentior Antuerpię direptio, multo paucioribus copij, immo à paucissimis, si ciuium spectetur multitudo, facta. At si impetus eo vsque differatur dum metu depulso ciues animum recolligant, quis non intelligit quantæ difficultatis sit prægrandes & populosas ciuitates per vim occupare?

Quod si hostes (Angli scilicet) terrestri tantũ defensioni intẽti fuerint, maiori suarum virium parte destituentur, vtpote quæ naualibus copijs magnam partem constant: quibus tamẽ omnibus exscensione nostros prohibere nõ poterunt, id quod multoties alijs occasionibus compertum est. Talis vero ac tantus exercitus, vbi semel terram apprehenderit, non facile inde depelli poterit, si præsertim prudens imperator, negata prœlij copia, aut hoste adeo potẽte vt cõfligere non ausit, loca ad sui defensionem opportuna diligenter muniat. Quod si fiat, atque exercitus aliquãdiu in insula retineatur; equidem futurum omnino puto vt Regina animum abijciat, omnibus tandem viribus (quippe cui ad tantos sustinendos sumtus, nullæ sunt Indiæ) exhausta. Illud vero nostris vnice cauendum est, ne à tergo maris ad aduehendam annonam & reliquos apparatus summe necessarijs commoditatibus excludi se patiantur: quamuis

uis optimum fuerit, manus ſtatim cũ hoſte manus cõſerere, vtpote in quo caput ac præcipuum totius Expeditionis feliciter perficiendæ momentum ſit poſitum.

Si vero hoſtis tam terra quam mari defendere ſe ſategerit, in id primũ vnice noſtris incumbendum fuerit, vt nauali prælio hoſtem vincant. Sic enim id efficietur vt noſtris nauibus in Hiſpaniam redeuntibus (quod fieri debere ego exiſtimo, relictis ſolis Galeonibus & Galeazzis) minus ab hoſte, ex occaſionibus aſſiliente, futurum ſit periculi. At hoſtilem profligare claſſem nõ difficilimum fore crediderim, quum noſtrâ omnibus fere rebus ſit inferior. Huius vero prœlij euentui, terreſtris quoque prœlij euentus ſimilis futurus eſt: ac de cetero, quid porro ſcilicet agendum, imperator ac duces, quæ ipſorum eſt prudentia, facile ſtatuent: ac plane ſpero omnia breui ita proceſſura, vt felicis exitus certam ſpem habere poſſimus, præſertim quum tota inſula vndique aperta, munitionibus deſtituta, & ad inuaſionem opportuna ſit.

Quod ſi ex hoc inſtituto nulla alia quã honeſtæ Tranſactionis ſpes eſſet, tanti profecto fuerit bellum hoc ſuſcipere, & exercitũ hoſtili ſolo immittere. Quamdiu enim res ita comparatæ fuerint, vt iam comparatæ ſunt, non video quomodo vlla inſtitui

posſit Trāſactio vel pacificatio: quæ etiamſi quam optimis conditionibus ab hoſte ipſo offeratur, non tamen Veſtræ Maieſtatis magnitudini conueniens fuerit à tali gēte eam accipere; econtra vero, qualeſcumq; pacis ſiue tranſactionis leges, eo tempore quo exercitus noſter hoſtilem terram inſederit, latæ, non modo de Maieſtatis Veſtræ exiſtimatione nihil detrahent, verum etiā eidem ſummam benignitatis & clementiæ laudem conciliabunt.

Beneficiarij & clientes Regiæ veſtræ coronæ, tam ſummi quam infimi, in vniuerſum omnes Expeditionem hanc optant & exſpectant, ſuæ vt virtutis ſpecimen edere, ſuamque fidem V. M. probare poſſint. Et hac quidē occaſione Nobili iuuentuti, quæ iam aulico ocio quodammodo torpere videtur, ſchola ad militarem artem diſcendam & tolerandos militiæ labores aperietur. Tantum annuat conſilio huic Maieſtas Veſtra, & videbit quā promte atq; alacriter, immò vltro omnes ſint concurſuri.

Vtilitates huius Expeditionis. De Vtilitatibus quas Regni huius occupatio allatura eſt, vt dicam nihil neceſſe eſt, quippe ita manifeſtis vt neminē latere poſſint. Illud tantū conſiderari velim, quanti ſumtꝰ M. V. quotānis in naues ſubſidiarias, quę Indicas claſſes comitari & deducere ſolent, faciendi ſint; qui eo magis augebuntur quod hoſtis quotidie creſcit audacia, viriū

vero

vero nostrarum minuitur existimatio, adeo vt vel hæc vna caussa ad bellū hoc (quod vnicum est huic malo remedium) suscipiēdum satis esse debeat.

Restat vt cunctatorum quorundam dissoluam obiectiones. Dicunt quidam Gallos coniunctis cum Anglorum gente viribus, Expeditionem hāc quà possunt, impedituros. Id vero minime verendum fuerit, cum Gallorum discordiæ, è Religionū diuersitate potissimum ortæ tātis odijs hactenus exercitæ sint, vt pacis inter ipsos vix vlla spes sit. Sed esto, coniungant se Anglis Galli, ac simul anne facere hoc poterunt quin vires suas distrahant, parte earum cōfederatis in subsidiū missa, parte ad defensionē patriæ, & hostis auersionē collocata? qua quidē ratione neutrum quod instituerunt, perfecturi sunt. Nec vero existimo eā Gallorū regi aut Gallis mentē esse, vt suorū sanguine, aut suisipsorum sumtibus Anglos defensos velint, quū proprijs omnes vtilitatibus magis quam alienis ducamur; adeoq; rex ipse suis quoq; beneficiarijs stipediū numerare cogatur. Ac quāuis multo maiores ex Anglia vires cōtrahantur, nunquam tamen nostri ad iniquum aut dubiū committendum prœlium cogi poterunt, quum ea sit ducum nostrorum inueterata prudentia, ea veteranorū militū dexteritas

Obiectionū solutiones

De Gallis.

& promtitudo, vt facile omnes hostium conatus eludere possint. Quid, quod ipsum quoque mare, à tergo semper apertum, nostris ad quoduis consilium vtile erit, & securitatem præstabit. Iam si Anglis ad suæ tantum regionis defensionem intētis, Galli omnibus suis maritimis copijs iter nobis intercludere conentur: quî, quæso, hoc facere poterunt, quū quidquid habent nauiū, nec numero, nec magnitudine, nec vlla alia re cum nostris comparari queat? Quid Galli contra Hispanos mari possint, in nauali ad Sanmichaelem insulam conflictu apparuit, vbi vigintiquinque Hispanorum naues Gallicas sexaginta fuderunt ac superarunt.

Quod si ijdem Vestræ Maiestatis regiones terrâ inuadere velint, tribus tantum partibus id facere possunt; à quarum vna valde temerarius quoque & magno cum periculo futurus est assultus, nimirum à Nauarræ finibus, ob locorum asperitatem, & gentis fortitudinem, quæ bellandi studio & laborum tolerantia nulli Hispaniarum genti cedit. Nec est quod Maiestas V. Insubriæ siue Mediolanensi Ducatui metuat, vbi ea est subditorum erga Maiestatē Vestram fides & amor, vt nouarum rerum nullum omnino sit periculum: tum præter Sabaudiæ Ducis, rerum vestrarum studiosissimi, vicinitatem, tot ac tanta passim ibi

ſunt præſidia, tam munitæ arces & oppida, vt eorum quoduis vel magni exercitus impetum ſuſtinere & robur atterere poſſit, etiamſi regioni à Maieſtate Veſtra Præfectus exercitum hoſti opponere nolit.

Quod ſi Belgium Gallis, ſepoſito paulliſper ex Alenzoniana Tragædia concepto odio, aggredi viſum fuerit, eoque res etiam deueniat vt Maieſtatis Veſtræ milites præſidijs includantur: exiſtimandum tamen non eſt id quod tot iam annis ac tanto ſanguine ibi partum eſt, vna quaſi hora rurſus amiſſum iri, quum præſertim is locorũ quæ ibi Maieſtatis Veſtræ tenentur præſidijs, ſit ſitus, vt pleraque non captu tantũ, ſed etiam obſeſſu ſint difficilia. Et quamuis metus eſſet, ne tandem temporis ſucceſſu damnum ibi aliquod acciperetur; id tamen obſtare non debet quominus tanta ac tam breui tempore perficienda expeditio ſuſcipiatur.

A Turca etiam non eſt quod vllum Maieſtas Veſtra valdè timeat periculum, vt meticuloſi quidam iactant. Quid enim is, ſi vel maxime Perſas ac Tartaros non infeſtos habuerit (quos tamen longe habet iam infeſtiſſimos) aliud efficere poterit, quam quod villas quaſdam in maritimis oris deprædetur? Ille idem quum Melitam inſulam ſummis viribus diu oppugnaſſet, tandẽ tamen re infecta ignominioſe inde diſce- *A Turca Hiſpaniarũ regi nihil timendum.*

dere fuit coactus. Si tamen is vel magnum quid audeat, præterquam quod vniuersæ Italiæ vires in se prouocabit paruum quoque operæpretium in Vestræ Maiestatis ditionibus oppugnandis faciet, vtpote quæ tam maritimis quam terrestribus copijs ita instructæ & munitæ sunt, vt talem impetũ facile sustinere possint: ac propterea expeditio hæc ob meritas ab Angliæ regina sumendas pœnas, intermitti non debeat.

Nec à Germanis.

Neq; vero illud magnam vim ad remorandam hanc expeditionem habere debet, quod nonnulli Germanorum auxilia Anglis in promtu fore iactant: quorum quidẽ non maior habenda est ratio, quam animarum precio conductarum. Id enim (preciũ nempe siue merces) solum in caussa est, vt Reginæ rebus forte nonnulli studeant: quũ si vel maxime totum illud regnum Vestræ Maiestatis accedat imperio, nullum inde sibi damnum illi metuant. Nec tantũ apud eos valebit religio, ob acerbissimas inter Lutheranos & Caluinistas dissensiones. ex quo illud fiet, vt qui plus argenti habuerit, & opimiora numerarit stipendia, maiora quoque & certiora à Germanis auxilia sperare possit.

Ad extremum illud addo, Exitum vniuscuiusq; expeditionis in manu Dei esse; cui vt huius quoq; euentũ nostris precibus cõmẽdare debemus; ita, vt in iusta caussa fausta omnia ab eo sperare nobis licet. THE-

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XLIII.

Quod est.

DISSERTATIO.

ANNO MDLXXXVIII. HABITA, quando stupenda illa classis Regis Catholici in procinctu stabat: in qua disputat Auctor quonam eius conuertendus sit impetus; speciatim vero, vtrum ea Belgium vel Angliam oppugnare magis expediat.

TAnta hodie est Hispaniarũ Regis potentia, tam validi exercitus, tã copiosi ad bellum apparatus, tam recens è Lusitania nuper imperio adiecta gloria, nihil vt vulgare iam, sed insigne aliquid ac tantæ Maiestatis magnitudine dignum, tum præsenti tempori & & occasioni opportunum, ab eo exspectetur.

Quem-

Quemadmodum vero plerique omnes conatum hunc siue consilium Regis, quodcumq; tandem futurum sit, faustis ominibus prosequuntur; ita in eo quid potissimũ ac primum ei adgrediundum, sententijs discrepant, dum quisque pro suo captu res gerendas disponit, & earum momenta suis ponderat affectibus. Etsi vero trium tantũ generum hac in re opiniones reperiantur, quarum prima Africam, secunda Angliam, tertia Belgium Catholico Regi præsenti classe oppugnandum proponit; in eo tamẽ quodnam horum vtilissimum ac facilimũ sit, omnes inter se dissentiunt; quamuis inducijs iam opportune inter Regem Philippum & Turcas factis, eorum qui Africanæ expeditionis auctores fuerant, exclusa sit opinio, ita vt omnis deliberatio nunc inter Belgium & Angliam versetur. Et in hoc quidem tanta est rationum quas pro sua vtrique stabilienda adferunt opinione, varietas, vt mirum sit, quum plus vno verum non sit, quomodo tamen falsum tot veri species assumere possit, vt pro ipso vero facile sese venditet, & incautis imponat.

Triplex opinio quò ducenda sit classis.

Vt vero certius omnia ac melius intelligantur; constitui in hac mea Dissertatione è veris fundamentis & principijs illud demonstrare, Regi Catholico multo vtilius ac conuenientius esse expeditionem hanc contra Angliam quam contra Belgium suscipere.

cipere. Opinionis autem meę fundamenta voco non communissima illa Naturæ aut Scientiarum principia, multo minus Mathematicas demonstrationes, quæ in hanc materiam nó cadunt; sed probabiles & vero congruentes rationes.

Multi sunt, qui expensis vtrimque quas Catholicus rex tam Angliam quam Belgiũ oppugnandi habet rationibus, ita sentiunt: quamuis iam dicto Regi grauissimę caussæ Angliam sibi vendicandi non desint, maius tamen ei ac præcipuum Belgij recuperandi debere esse studium, quum in omni Republica prior ac potior sit rerum possessarum conseruatio, quam non possessarũ acquisitio: & secundum Poetam, Non minor sit virtus quam quærere, parta tueri. Quamuis autem axioma hoc politicũ magnam vim habeat; non tamen tantum ei tribuere debemus, vt solum id satis esse iudicemus, quod bilancem, præsertim quando in alterutro momento summa rei posita est, in vnam partem impellere possit. Quocirca in grauissimis hisce deliberationibus non tam considerandum est, quid debeat, quam quid fieri possit; & quodnam ex omnibus vtilissimum, facilimum & magis expeditum. Sępe quidem Principes honestate aut debito aliquo officio ad suscipiendam expeditionem aut tale quid tentandum exstimulantur; ijdem tamen, consideratis circum-

Vtrum Anglia an Belgium oppugnandum.

cum-

cumstantijs & alijs incommodis, mox resi-
liunt, & prius consilium aspernantur. Ex-
emplo sit Venetorum Respublica, quæ ni-
hil aliud considerans quam Ducis Medio-
lanensis iniurias, & immoderatam N. N.
cupiditatem, cum Hispaniarum Rege se
coniunxit; sed pæne nimis sero didicit, pru-
dentis esse affectus, iram præsertim, quan-
do de rebus arduis est deliberandum, fræ-
nare & coercere; vtpote qui longum & si-
nuosum grauissimorum casuum syrma
post se plerumque trahunt. Quapropter
ex eo quod magis veteri conseruandæ quã
nouæ acquirendæ possessioni insudandum
sit, non recte quis concluserit, Catholico
Auctoris sententia. Regi contra Belgium potius quam Angliã
classem esse educendam: nec in tam graui-
bus rebus tam leues audiendæ sunt ratio-
nes. Verum enimuero vt quiuis intelligat,
Catholici Regis esse Angliam potius quã
Belgium inuadere: sententiæ meæ funda-
mentum non verum tantum, sed necessariũ
quoque substernam, hoc nempe: Subiuga-
ta Anglia, facile fore Belgium quoq; vin-
cere; econtra Belgio subiugato, non minus
sed plus difficultatis fore in subiugãda An-
glia, immo eius subiugãdę parũ spei futurũ.
Et quod plus est, dico, si rẽ accurate perpẽ-
damus, faciliorẽ esse Angliæ quam Belgij
occupationẽ, vt infra liquido ostẽdã. Quod
si ergo Angliæ occupatio Belgium secum
tra-

trahit, si illa facilior est & certior; quis dubitet eum qui ordinem hunc peruertere velit, tam præclaram occasionem sibi ipsi erepturum, & suo sibi iumento malum, quod dicitur, adsciturum?

Anglia Belgarum souet rebellionem auxilijs.

Ad primum probandum quod attinet, scilicet, Angliæ occupationem plus vtilitatis allaturam quam occupationem Belgij: tria hæc principia præsuppono. Primo Belgas Anglorum auxilijs subnixos, tamdiu hactenus bellum defendisse, sine quibus stare nequaquam potuissent. Quare vt corpus subtracto alimento intereat necesse est; & ignis sine materia aggesta extinguitur: ita profecto Belgarum rebellio, Anglorum auxilijs destituta, finem quemcumque necessario habebit. Quemadmodum vero tutius est ignem, subtracta materia, exstinguere, quam contrario elemento opprimere & suffocare (siquidem primo illo modo vim illam & ardorem in seipsum vertit, & seipsum quasi consumit; alter vero si adhibeatur, facile fieri potest, vt non tantum non extinguatur, verum etiam longius ac latius serpat) ita quoque rebellionem. Sic Florentini tunc primum Pisanorum, & non prius extinguere potuerunt rebellionem, postquam exterorum eos auxilijs excluserunt: in quo vno omnia tantæ ad imperium reducendæ vrbis momenta erant posita; quod quidem

cete-

ceteroqui nec suis nec Confederatorum viribus tam facile efficere potuissent.

Ipsa tantum vmbra & respectu.

Secundum principium illud pono; quod Anglia non solum subministrãdis auxilijs, verum etiam ipsa tantum vmbra Belgarũ fouet rebellionem. Belgæ enim quamprimum Hispanorum vires in se conuersas animaduerterint, ad Angliam tamquam exsilij sui, siue fugæ receptaculum continuo respiciunt, eaque tuta, satis se tutos arbitrantur: siquidem nõ ignorant, Anglos contra quemcumque qui armatam ad illas partes classem adduxerit, arma capturos. Qua quidem in re Athenienses imitantur, qui salua Olinthiorum ciuitate, se quoque saluos putabant; qua subiugata, non videbant vllum obstaculum, quod hostem ex Attica venientem remorari posset. Idem heic affirmare ausim, Anglia ab Hispanis subiugata, Belgas ferociam illam continuo posituros, vbi scilicet eo propugnaculo destitutos se viderint, in quo hactenus arcem defensionis suæ posuerunt.

Belgæ exhausti.

Tertium principium hoc sit: quum Belgarum vires & facultates tãm diuturno bello ita attritæ & consumtæ sint, vix vt quidquam restare videatur, vt qui non tantum vitam ipsi suam & tot subditorum millia morti obiecerint, verum etiam immodicis vectigalibus (dum è centenis, si veras rationes inire velimus, quadragenos numos pu-

blicis

blicis necessitatibus impendunt redditũ amissione, agrorum qui inculti iacent sterilitate, mercaturæ, in qua præcipuæ ipsorum opes consistunt, infrequentia, frequentissimis militum deprędationibus, incendijs, cladibus, vrbium expugnationibus, alijsque damnis fortunas suas ita exhaustas vident, vt si non auxilia ipsis ab Anglia subministrentur, nec animus nec facultas vlla ipsis ad rebellãdum reliqua futura sit: facile colligi potest, victis Anglis, Belgas quoque victos fore, non contra vero. Neque enim existimandum est, Belgio subiugato, Anglię occupationem ita facilem futuram? quum regnum hoc potentissimum atque opulentissimum suis ipsius opibus nitatur, ac securitatis suæ fundamenta in se ipso collocata habeat; in quo vel deuictis Belgis oppugnando, exteri non minus quã hoc ipso tempore difficultatis inuenturi sint. Quantum enim ad sui defensionem attinet, Anglia non ab alienis, sed suis ipsa opibus & copijs dependet; aut si aliquid externis quoque auxilijs tribuendum putet, nequaquam tamen ad rebellantes illas regiones respiciet, vt quæ ab ipsius totæ auxilijs dependeant, tantum abest vt alios iuuare possint.

Ostendi hactenus quanto plus emolumenti è victoria contra Anglos quam contra Belgas sperari possit; restat iã vt (quod

alterum fuit ſententiæ meæ caput) illud quoque euincam, faciliorem Angliæ eſſe quam Belgij expugnationem.

Ac primum ſiue facilitatem, ſiue vtilitatem, ſiue gloriam, ſiue ſecuritatem, vel denique quodcumque earum rerum quarum præcipua in arduis conſultationibus habenda eſt ratio, conſideremus, equidem Angliam prius quam Belgium inuadendã cenſeo.

Facilius eſſe Angliam quam Belgium expugnare.

Ad facilitatem quod attinet, multis rationibus demonſtrare poſſum, ei qui Belgiũ inuadere velit, eaſdem difficultates ſuperãdas fore quæ ei qui Angliam oppugnandam ſibi ſumſerit. Prima hęc eſt: quum regales eiuſmodi Expeditiones, collecto iam iuſto exercitu, tum facilius perficiantur, quando mari & terra ſimul fit impreſſio; dubium non eſt quin hoc in Anglia melius quam in Belgio fieri poſſit. Quemadmodũ enim iter per mare in Angliam breuius eſt & expeditius quam in Belgium; ita quoque eamdem terra inuadere promtius eſt, quũ exercitus pars in Scotia ſecure in terram exponi, atque inde contra Angliã duci queat, vt infra dicemus. E contra non niſi per lõgiſſimos viarum tractus ex Hiſpania in Italiam, inde in Germaniam, ac porro in Belgiũ terreſtri itinere exercitus duci poteſt: quod & immenſos requirit ſumtus, & multis tã belli quam viarũ periculis eſt propoſitum.

Secun-

Secunda ratio est; quod traiectus in Angliam non commodior tantum est & breuior, verum etiam tutior; quum à Gribilterra siue freto Herculeo ad ipsam vsq; Angliã mare apertũ sit, nec vllũ impedimentũ vllibi obijciatur. At si quis in Belgiũ contẽdere velit, ei necessario Anglia prænauigãda est: quæ sine dubio (vt quidem ipsa politica præcepta monent) tum Hispaniarũ regi eiusque classi illud testatum faciet, & amicos & inimicos parum gratos esse & acceptos, si magno numero armati veniant; nec sibi quidquam deesse quo minus in classem vis fiat, quam voluntatem. Vnde dubium non est quin Belgium inuadere cupienti, obstaculum hoc perrumpendum, atq; ita tutum iter aperiendum sit.

Tertia ratio firmissimo artis militaris axiomate innititur: Numquam scilicet ad inuasionem loci alicuius progrediundum, si à tergo turbę oriri possint. Quocirca minime consultum fuerit Belgium oppugnare, relicta à tergo Anglia; apud quam gentẽ vt vniuersus hic conatus suspicione & inuidia laborabit; ita periculũ erit ne in medio contra Belgas pugnę ardore se immisceant, & ex improuiso in mediã classem impetum faciant. Ac profecto non aliam ob caussam infelicem habuit euẽtum Caroli V. in Prouinciam Galliæ expeditio, quam quod cõtento Marchionis Vastani consilio, loca

munita ante se capere neglexit: quæ res nõ Imperatoris tantum copijs, verum etiam Antonio Læuæ, cuius consilium Imperator sequutus fuerat, in perniciem vertit.

Quarta ratio est, quod Belgium oppugnanti res futura est cum perito, feroci & bellis innutrito milite: Anglos vero videmus omni arte & disciplina militari destitutos, quippe qui nec vllam scientiam, nec armorum, præsertim quæ sclopeti vocantur, tractandorum vsum habent, arcubus exceptis & balistis, quorum tamẽ vim omnem cassides & loricę nostrorum facile eludunt. Equidẽ tantũ existimo inter Anglũ & Belgũ militẽ interesse quantũ interest inter ociũ & exercitiũ, vel, vt melius dicam, inter inermem & armatum. Quãti vero ad victoriam intersit contra imperitum pugnare militem, inter multa alia Miltiadis nos docet exemplum, qui in campis Marathonijs cum decem selectorum millibus vniuersum Xerxis exercitum, in quo admodũ sexcenta hominum millia fuisse dicuntur, profligauit.

Quinta ratio est, quod Belgij oppugnatio tanto plus habet difficultatis quanto magis hostis stringitur & intro compellitur, ita vt necesse sit quasi pedetentim progredi, & iam ad hunc iam ad illum locum oppugnandum vniuersum exercitum adhibere: quorum tamen locorum occupatio
sæpe

ſæpe parum adfert emolumenti, niſi quod victoriç curſum ei qui ea occupare nititur, valde remoratur. E contrario in Anglia nullæ arces ſunt, nullç munitiones aut propugnacula quæ victoris progreſſum inhibere poſſint, vbi is ſemel pedem in terra fixerit : id quod adeo difficile non fuerit, multas ob cauſſas quas infra dicemus, ſed inprimis Hiſpanicæ potentiæ reſpectu. Quum ergo Anglia arcibus ac munitis locis parum ſit inſtructa; Belgium vero totú vna & quaſi perpetua arx ſit & propugnaculum, tam intus quam foris : quis non videt tanto illam eſſe oppugnatu faciliorem, quanto facilius eſt vincere eos qui non repugnãt? Huius rei aptius exemplum adferre non poſſum quam ex hoc ipſo Belgio: in quo licet paſſim à Regç magna & firmiſſima præſidia ſint collocata, ſingulis tamen fere mométis res ita turbatur, vt ea oppugnandis quç ſe opponunt arcibus & oppidis, ſatis non ſint. In Luſitania vero quum nulla fere ſint loca contra vim hoſtilem ſatis munita, facile fuit Hiſpanis primo ſtatim ad regni vſque viſcera penetrare, & incolis ſpem omnem recuperandi adimere.

Sexta ratio eſt, quod ei qui cum exercitu regionem aliquam inuadit, arces & oppida munita poſtquam occupata fuerint, non minus ferè negocij faceſſunt quam antequam fuerunt occupata, vtpote quibus

præſidio firmãdis, maior pars exercitus detrahitur, ac proinde vehementer copiæ vniuerſæ debilitantur.

Belgæ Malecontenti non exacerbandi.

Septima meo quidem iudicio, vel vna ſatis ſit ad meę veritatem opinionis euincẽdam; & hæc eſt. Si Hiſpaniarũ Rex ad purgandos rebellione Belgarum animos exercitum mittat, verendũ erit ne non tam maligni humores euacuentur quam ipſi boni quoq; commoueantur, atq; ita infirmitas quædã plena peccantis & putridæ materiæ, gignatur Iam vero quum ſana materia adhuc prædominetur; ſperare licet, vim morbi tãdem ipſa temporis diuturnitate diſcuſſum & ſuperatum iri: econtra vero ſi alia adhibeatur medicina, facile fieri poſſit vt Malecontentorum, quos vocant, humores omnino corrumpantur; id eſt, vt ad res illi nouas incitentur: & vt Rex medicinam; ita illi animum mutent, & aliò reſpiciant. Scimus, vi Capitulationis ſiue tranſactionis inter Regiam Maietatem & Belgas ſubditos factæ, belli huius onus & compoſitionẽ Ordines in ſe recepiſſe, hac conditione vt Hiſpani & peregrini milites è Belgio reuocentur. Iam ſi illi exercitum ex Hiſpania ad debellandos Belgas miſſum aut tantum deſtinatum audierint; facile intelligent, ſibi victis à victore leges accipiendas; & Malecontenti non ſolum tanti belli onus ſu-

ſtinen-

ſtinendi cupiditatem abijcient, meritorum ſuorum quæ erga Reg. Maieſt. prætendunt, nullam haberi rationem cauſſantes; verum etiam ſpem omnem immunitates & priuilegia ſua, pro quibus tanta contentione ipſi inter ſe toties depugnarunt, conſeruandi amittent. Ex quo, vt & alijs quas in hanc ſententiam adferre poſſem, rationibus patet, quam periculoſum ſit hoc rerum ſtatu amicorum animos tam aſpera medicina exacerbare. Si enim Malecontenti illi aduerſę factioni ſe quoque adiungant & Hiſpanis opponant, facile intelligi poteſt quanto grauius bellum hoc à parte regiæ Maieſtatis futurum ſit, nō eo tantum quod tam certum ac præſens auxilium regijs copijs detrahetur, verum etiam magna ad hoſtium vires fiet acceſſio. Et hactenus quidē probauimus multo opportuniorem ac faciliorem eſſe Angliæ quam Belgij oppugnationem.

Reſtat iam vt non per modum comparationis, ſed tantum rei ipſius reſpectu rationibus aliquot oſtendamus, quanti Regis Catholici intérſit, & quam facile eidem ſit Angliam occupare. Primò dubium non eſt quin illud medicamentum ſalutiferū dici poſſit ac debeat, quod non ſolum partē offenſam ſanat, verū etiā morbi radices tollit. Iā ſi Rex Catholic⁹ armis Belgiū ſubiugare conetur, plagā quidē rebellionis fortaſſe *Anglia prius tentanda quā Belgium.*

consolidabit, fontem tamen ipsum malignorum humorum, quibus morbus alitur, non exhauriet, relicta scilicet Anglia, quæ perpetuum fomentum rebellantium Belgarum viribus hactenus subministrauit. Licet autem impræsentiarum Belgium hac indispositione vel morbo omnino liberetur: quæ tamen aut qualis sanitas illa dici potest eiusmodi corporis quod continuæ suggestioni peccantis materiæ est obnoxium? Quare Anglia prius tentanda est, vt securè postea omnes concurrentes humores aut digeri aut euacuari queant.

Anglia quam potẽs olim & hodie.

Verum vt de facilitate clarius aliquanto dicam, equidem non nego quin Angliæ regnum sit potentissimum, vtpote maxima omnium quæ ab antiquis commemorantur insularum. Ambitu enim suo, vnà cum Scotia, complectitur duo milliarium millia: quamquam recentiores ducentis minorem faciant. Quid, quod singulari naturæ beneficio mirum in modum munita est, Oceano, tamquam muro, vndique circumdata; ita vt Scotia ad eius imperium adiecta, nullibi, terrâ inuadi possit. Id tamen verum est, rei militaris gloriam quæ Anglorum genti tribuitur, antiquis potius quam ijs qui iam sunt, tribuendam. Quod igitur aliàs fieri videmus, vt scilicet animus magnarum rerum imaginatione grauidus, licet rebus mutatis, easdem nihilominus retineat

tineat imagines; id heic quoque accidit, dū Angliæ vires non ex præſenti rerum ſtatu metimur, ſed ad antiqua illa tempora reſpicimus, quibus Normaniam, Britanniam Armoricam, Vaſconiam aliaſque florentiſſimas Galliæ prouincias & ciuitates ſub imperio habuit. Eidem Scotia fuit tributaria: immò vniuerſum pænè Galliæ regnum Angliæ ſceptro regebatur, adeo vt Henricus VI. in ipſa Pariſiorum vrbe Galliæ Rex ſit coronatus. At ſi prçſentem quis Angliæ ſtatum conſideret, facile profectò intelliget, potentiam eius quæ olim potentiſſimis totius Europæ regibus formidabilis fuit, hodie non valde eſſe metuendam. Et profectò ſuperiori tempore tantis calamitatibus inſula hæc fuit obruta, vt non hominum tantum, ſed cœli quoque odium in ſe concitaſſe videri poſſit. Poſtquam vero infelici conſilio in Schiſmatis tenebras præcipitauit, procul dubio ſe terribilibus ijs rebus obnoxiam fecit quas fidei & religionis ſecum adfert mutatio, tritiſſima ad ruinam & exitium omniū Rerū publicarū via Quum enim Religio vnicum ſit fidei & obedientię ſubditorum erga magiſtratus fundamentum: quis dubitat, quin eo ſubruto, vnà ſimul vitę regula, & diuinę ac humanæ leges concidant? Tanto vero perniciosiores inde ſequuntur effectus quanto magis repentinæ ſunt mutationes: quales il-

læ sunt quæ in Anglia acciderunt, quæ momento fere temporis è summo Religionis fastigio in abyssum infidelitatis præcipitauit; è quã quũ vix paullulũ se leuasset, & oculos ad Catholicæ Religionis lumẽ flexisset, tandem in densissimas hæresis tenebras delapsa est; quæ quidẽ maxima Rerumpublicarum pestis est & ruina. Fieri ergo non potest quin his in fluctibus damnosum valde passa sit naufragium Anglia, cuius quidem effecta manifesta videbimus, si consideremus id quo præcipue omnis eius gentis existimatio & securitas quoq; innitebatur, iam collapsum esse fundamentũ, rerum scilicet maritimarum copiã & gloriã, quibus olim ad miraculum abũdauit: vt videre est ex ea classe quam Henricus V I. contra Carolum VI. Galliæ regẽ eduxit, in qua octingentæ maiores naues fuisse dicuntur, ita vt Oceanus quasi ponte cõstratus videretur. Nunc vero adeo mutata est rerum ibi conditio, vt Henricus vterq;, V II. & V III. cẽtũ illas naues, quas prædecessores ipsorum cõtinuo, in procinctu habere solebant, diutius sustẽtare nõ potuerint, quin eò tandem angustiarũ redacta est Anglia, vt ex illis ipsis nauibus quæ ad regni securitatem erãt instructæ & dispositæ, maior pars sit vænum data. Tanto plus potest apud Principes inopia, quam propriæ securitatis respectus.

Sed quo melius id quod de facilitate dixi, intelligatur, duo consideranda proponam

ponam, quorum prius ad eum qui oppugnatur, alterum ad eum qui oppugnat, pertinet: in quo liquido apparebit, altero tanto inhabiliorem esse defendentem ad se defendendum, quam habilis sit offendens ad offendendum. Iam si quod oppugnandum est recte perlustremus, Angliam nimirum; certum est Hispaniarum regis viribus eam resistere non posse, si modo is suis quas in promtu habet, copijs vti velit, & oppugnationem serio instituat. Quod quidem diuersis rationibus probari potest. Primum enim quum Anglia, vti diximus, magnis in angustijs iam versetur, si in ijs tamen ipsis ad defensionem contra hostem potentissimũ se comparare velit, idem faciet ac si cœlum fulcire conetur, quum tamen nec Alcides sit, nec Atlas.

Angliæ impotentia cũ Hispaniæ potentia cõparatur.

Secundo, quum Anglia bono earum nauium, quæ ad regni præsidium & securitatem comparatæ olim fuerant, numero careat, si iam demum quis naualem conquirere apparatum conetur; idem faciet ac si robur ab infirmo sumere, aut ipsi tempori & Naturæ rerum legem ponere velit, dũ scilicet in summa inopia & breui tẽporis spacio ea comparare satagit, quæ in summis diuitijs longo temporis spacio (tot enim ac tantis rebus opus est) comparari vix possunt. Præterea, nunc demum eos conquirere velle apparatus quos Rex

Anglia caret nauibus & præsidijs.

Catho-

Catholicus iamdiu in promptu habet, idem est ac tum demum arma velle capere quando hostilis mucro iam iugulo est impositus, nec vllum deliberandi nobis spacium reliquum est. Frustra hic dixerit aliquis, posse Anglos, ingruente periculo, priuatorum nauibus ad publicas necessitates vti: quum hoc remedium nimis serum sit futurum, malo iam incumbente, nec naues illæ è locis remotis & longe inter se distantibus tam cito contrahi non possint: vt de eo nihil dicam, quod homines priuati suas fortunas ad publicas vsurpari necessitates, ægre patiuntur. Quare omnino necessum est, vt in arduis expeditionibus Principes suis ipsorum viribus nitantur: quum ij qui in rebus ad salutem aut exitium versuris, ab aliena ope dependent, prius sæpe ab hoste opprimantur quam aliorum auxilijs vti possint.

Itemque Equitatu. Tertio facilis est Angliæ oppugnatio, vt cui non postrema pars ad militiam requisita, desit, equitatus scilicet, equitatus, in quã grauis armaturæ, cuius nihil fere apud Anglos quam tenuis quædam notitia reperitur. Ad leuis vero armaturæ equitatum quod attinet, parui is erit momenti, nisi qualitatis defectus, quantitate siue multitudine compensetur. Atqui non pauci tantum sunt equi in Anglia, sed illi ipsi quoq; qui sunt, morbidi fere sunt & flaccidi, non

tantum cœli siue aeris ingenio, verum etiã quod continuo in pascuis, tamquam capræ oberrent.

Quarto, constat Angliæ reges siue negligentia siue inopia iamdiu omnis bellici apparatus, in quo conquirendo tantum studij reliqui ponunt Principes, curam abiecisse: quo tamen nullum remedium ad quosuis siue intestinos siue exteros reprimendos tumultus, est præsentius. Quia enim superiorum temporum Reges curam omnem in maritimis procurãdis copijs posuerunt, factum inde est vt terrestris militiæ nulla fere habita sit ratio: quasi scilicet in insula numquam bellum terra gerendum, aut naualibus copijs bellum terrestre administrari non queat. *Omni denique bellico apparatu.*

Quinto, certum est, rerum nouarum studium Anglorum genti veluti à natura insitum esse. Nam si quis eius gentis historiam perlegerit, inueniet, seditiones, coniurationes, proditiones & similia quasi domiciliũ sibi in insula illa fixisse. Cuius rei exemplũ habemus in Eduardo Rege, qui in Galliam profugere est coactus: & recentius in Maria Regina, quæ Vellenæ (forte Viati) aliorumque coniurationibus fuit petita. Sed infinitum sit omnia eiusmodi recensere. Vnde patet quam facile in tali Regno confusio aliqua seu perturbatio oriri possit; præsertim si homines per se nouarum rerum cupidi *Angli nouarum rerum cupidi.*

pidi & turbulenti potentem hostem antè fores armatum viderint, cui si nullam aliā ob caussam, saltim pœnarum ob rebellionem metu, vltro sese proculdubio coniungent.

Angli Reginam oderunt. Sexto quum Angli plerique omnes insolentem Reginæ huius dominationem ægre ferant, vt quæ non tantum parum prudenter & moderate imperando, verum etiam inhoneste viuendo odium & indignationem subditorum indies magis magisque in se concitet: quis non credat lubenter eos tale iugum, offerente se occasionē, abiecturos? Quamuis enim populus ille singularem quamdā obseruantiam exteriori gestu & vultu erga Reginam suam ostendat: si quis tamen penitus introspiciat, in intimo animorum recessu acerbum odij virus erga eamdem reperiet absconditum, adeo vt voces illæ palam sæpe non apud magnates tātum, verum etiam inter ipsum populum iactentur, quum Regina illegitimis nuptijs nata sit, non posse eam in præiudicium verorum heredū, & contra Regni statuta, Regnum tenere. Quare magna spes est, si Catholicus Rex arma contra Reginam moueat, subditos insigne aliquid in eiusdem perniciem molituros: quum sic comparatum sit, vt populi odio aut aliquo alio affectu stimulati, quamcumque eum quem oderunt, perdendi arripiant occasionem.

nem. Sic Tarentini Caij Liberi Præfecti imperium pertæsi, Carthaginiẽses in ipsius conspectu, in vrbem receperunt.

Septimo, quum Angli, si vetera spectemus, alios tantum infestare sint soliti, ipsi vero raro ab alijs infestati; fiet profecto vt vbi versam iam fortunam viderint, animo statim consternentur. Insolita enim Fortunæ facies valde omnibus est formidabilis. Hoc modo Græcia alios oppugnare solita, quamprimum ab alijs oppugnata fuit, in aliorum deuenit potestatem. *Angli efficere tãtum soliti.*

Octauo, quum Anglia, iusto Dei iudicio, iam declinare cœperit, facile potest intelligi quam procliue futurum sit eamdem penitus deturbare: quũ declinatio nihil aliud sit nisi via quædam ad ruinam. Sic Romanum Imperium vbi semel declinare cœpit, momento temporis pessum iuit; & ingens illa moles ingentem secum ruinam traxit. *Anglia declinare cœpit.*

Nono, quum Anglorum gens peritis ducibus & Capitaneis priuata magis sit quam careat, milites præterea ipsi, vti supra diximus, parui sint valoris; & vero ceruorum exercitus, etiã leone duce, parui sit æstimãdus: facile intelligi potest quam ridiculus futurus sit cernorũ exercitus, lepore aut cuniculo duce; cuius similis fortassis Anglorum futurus est. *Anglia militiæ ducibus effœta.*

Decimo & vltimo, etiamsi Anglia armis, *Pecuniæ inops.*

militi-

militibus,ducibus,annona, nauibus omnique necessario abundaret apparatu, nihilominus tamen aio,omnia hæc inutilia fore, si vnum illud desit quod ipsam formam & essentiam, vt cum Philosophis loquamur, Expeditionibus largitur. Quid illud est? pecunia,cuius non tantum ob regiorum redituum exiguitatem, sed etiam sumtuum magnitudinem tanta in Angliæ regno est inopia, vt magnæ alicuius Expeditionis onus sustinere non possit, immo præclare secum actum putet, si necessaria ad solitas impensas,habeat. Qui vero nimium suis tribuit viribus, illisque grauius belli onus in se suscipit,suã ipse sibi perniciem accersit: Est enim certissima illa regula: Si Princeps aliquis talem suscipiat expeditionem,cuius onus sustinere nõ possit, eum nemini plusquam sibiipsi nociturum. Deficiente namque annona alijsq; rebus necessarijs, & stipendio non procedente, imperium detrectare solent milites, vt nõ minus à proprio milite quam ab hoste sit periculi. Sic Germani milites qui Lanzknechthi vocantur, olim Monpenseriũ Ducem in regno Neapolitano destituerunt, & Ceresolm armis occuparunt.

Quum hactenus demonstratum sit, facile esse Catholico Regi Angliam occupare,si ipsa quæ oppugnanda est,in se spectetur: iam porro idipsum, si oppugnantis, Catho-

Catholici ſcilicet Regis, vires conſiderentur, longe facilimum eſſe. & quidem maioris momenti rationibus probabo.

Primum, quis neſcit quanta ſit Philippi Hiſpaniarum regis potentia? cuius imperiũ iiſdem quibus ſolis curſus terminatur finibus: quippe quod integrum terreſtris globi diametrum complectatur? ac profecto ſi vetera & recentia percurramus, nullum ex omnibus omnium temporum Monarchis & Regibus inueniemus qui tantum ac tam latũ poſſiderit imperium, Princeps armis, militibus, ducibus, terreſtribus & maritimis copijs, auro & argento, omnibus deniq; rebus quarum aliquis eſt vſus, longè opulentiſſimus. Princeps, inquam, qui ſolus tã Terræ quam maris imperium tenere videtur.

Philippi Regis potentia.

Secundo, tantas Catholico regi ad naualem apparatum Luſitania imperio adiecta, facta eſt acceſſio, vt iam centum & quinquaginta naues amplius educere poſſit: quæ cum reliqua claſſe coniunctæ, & magnitudine ſua omnium animos in ſtuporem rapient, & multitudine ipſum mare implere videbuntur.

Naualis Catholici Regis apparatus.

Tertio, præter has & alias naues, quas idẽ in Calabria prouincia non minus regi fideli quam in pernauigando Oceano exercitatiſſima pararas habet, tum priuatorum quoque, quæ hinc inde in procinctu ſtant;

 mag-

magnum quoque vsum Mediterraneæ illæ triremes præstabunt quæ in superiori contra Lusitaniam expeditione nusquam se cõmouerunt, quod vulgò persuasum esset, earum nauium in Oceano nullum esse vsum: quasi vero Oceanus numquam, etiam æstate, tranquillus, & ad nauigandum facilis esset, quum constet tribus æstiuis mensibus sine magno periculo triremes quoq; illas in Oceano haberi posse. Qui cladem à Cæsare in Britannico Oceano acceptã hic obijciũt, frustra sunt, quum is idẽ tẽpestatẽ illam nó ipsi Mari, sed Lunæ adscribat, quæ non in Oceanũ tantũ verũ etiã omnia maria vim suã mirabiliter exercet, vt nõ tantũ Meteorologici, verũ ipsa quoq; docet experiẽtia.

Quarto, vbi tam validæ classis beneficio Rex Catholic⁹ maris adept⁹ fuerit imperiũ, simul quoq; terrę acquiret dominiũ. Qui enim tantas habet vires vt copias ad insulæ defensionem oppositas facile superare possit, eidem quoque facile erit in terram exponere militem, & victricibus armis vniuersam insulam peruagari: præsertim quũ ea sit huius insulæ conditio, vt si hostis semel in eam penetrarit, & castra atque exercitum è militari disciplina ordinarit, commeatus intercludere, & incolas fame ad deditionem cogere queat.

Auxilia Hibernorũ & Scotorũ. Quinto, in maritima expeditione Catholicus Rex proculdubio Hibernorum, vt qui iam ante partium ipsius studiũ aperte præ

te præ se tulerint & factis testatū fecerint, sentiet fauorem & opē; ad terrestrem vero quod attinet, nihil dubito quin Scoti quoq; Catholici Regis conatus pro virib⁹ sint promoturi, non solū inueterati illius odij, è naturali æmulatione, quæ inter vicinas gentes ob frequētes de finibus cōtentiones exsistere solent, nati respectu, verū etiā ob recētes huius Reginæ iniurias, vt quæ rebellantes Scotos cōtra ipsorū Reginā adiuuerit, exercitu finibus immisso. Iā Scotorum adiuncto fauore, facile erit Philippo Regi Angliam à Septemtrionali plaga inuadere: non obstātibus quæ ibi loci sunt, quamuis paruo numero, arcibus & oppidis, vt quæ non tā ad prohibendū tam validū potentissimi Principis exercitū, quā ad latrunculorū & prædonū reprimendam audaciam apta sint, & pleraque nec munita satis, nec sufficienti apparatu instructa.

Sexto (quod tamen in ipsa deliberatione primo loco cōsiderandū est) habendus est hac in re honestatis & iustę caussæ respectus quum Catholici Regis inprimis sit, Catholicā fidem & religionem defendere, ea fiducia vt certò persuasum habeat, nullum fore tantum impedimentum, quod hunc ipsius conatū, diuino præsidio subnixū, retardare possit. Infirma enim sunt & vana omnia humana consilia & auxilia, quę supremi illius arbitri voluntati sese opponunt. Sed & præter eas quas Catholicus Rex habet in *Expeditionis huius honestas & gloria.*

Regnum hoc prætensiones; ea est muneris ipsius & officij ratio, vt nullam suo & maiorum nomine, qui Catholici dicti sunt, digniorem expeditionem suscipere possit. Hac enim ratione non solum iustissimis de caussis sibi debiti Regni acquiret possessionem, sed etiam immortalem nominis gloriam præ ceteris omnibus qui vmquã fuerunt Regibus, sibi comparabat, adiuncto videlicet ad Hispanias tam amplo & celebri regno.

Septima ratio à Traiectus cõmoditate sumitur, qui vt inter fretum Herculeum & hanc insulam breuis admodum est, ita ad conuehendos omnis generis apparatus aliaque ad bellum necessaria, valde est opportunus.

Octauo, si Philippus Rex bellum hosti domi inferat, certum est in Anglia ingentẽ passim orituram trepidationem & metum, & periculi propinquitatem omnia defensionis consilia perturbaturam. Terribilius enim nihil est, quam ferrum suo & suorum iugulo quasi impositum cernere. Agathus quidem Siciliȩ tyrãnus, Syracusis à Carthaginensibus expulsus, cum paucis suarum copiarum reliquijs in Africam nauigauit, arma non tam inferens quam ostentans: cuius quidẽ etiam victi & profligati aspectus tantum terroris attulit, vt Carthaginienses Asdrubalem domum reuocarint, Aga-

tho

tho non multo post libere ad suos reuerso.

Nono, plurimi sunt in Anglia qui Catholici Regis partibus fauent. Quis vero nescit quanti intersit inter ipsos hostes habere amicos & fautores? Id quidem Cannensis illa clades qua Romani exercitus ab Annibale ad internecionem fere deletus fuit, satis demonstrat. Nec profecto vllus locus tam munitus est, qui non facile expugnari possit, si intus simul cum ciuibus, & foris cum hoste sit pugnandum. *In Anglia multi Catholico Regi fauent.*

In Anglia vero multos esse qui Philippo Regi sint addicti, eiusque caussa quidquid possunt, facturi, tribus probo rationibus.

Prima est, insignis illius humanitatis, clementiæ & beneficentiæ qua magnus noster Rex in regendis regni illius subditis, vsus est, memoria, plurimorum animis ita impressa, vt quoduis aliud imperium, huius respectu tyrannicum magis quam legitimum ipsis videatur. Quãtum vero in subditorum animis possit eiusmodi imperij memoria, præsertim vbi illi imperandi insolentia exacerbati fuerint, Ferdinãdi Neapolitani Regis nos docet exemplum, qui ab exsilio reuocatus, & à subditis in regnũ restitutus fuit, non aliam ob caussam quam quod imperium eius quamdiu regno præfuit, multo tolerabilius quam Gallorum videretur. *Philippi Regis clementia.*

Angli ad Catholicam religionem adhuc prone.

Secunda ratio est à Religione. Scimus enim Angliam à gremio S. matris Ecclesiæ hodie auulsam esse, non quidem inueterata aliqua aut naturali infectione, sed errore potius & cæcitate Henrici VII. regis, qui à libidine ita transuersum se abripi passus est, vt omnia miscere nihil pensi habuerit. Quòd si ipsam Anglorum gentem spectemus, constat sane illam ab antiquissimis vsque temporibus S. Catholicæ religionis fuisse obseruantissimam: at si præsentem consideremus statum, reperiemus eam non sua ipsius voluntate aut studio, sed iam dicti Regis vesania in præcipitium hoc abreptã. Iam si tempus inspiciatur, equidem plaga hæc infidelitatis recens adhuc dici potest, nec dum cicatricem obduxisse. Neq; enim multi anni sunt, quũ Maria rerum potita, Angli ad priscam Catholicam fidem velut postliminio reuersi sunt, aperteq; ostenderunt animos sibi non alia re excæcatos esse quam graui illo lethargo qui Regum animos ligatos & oppressos tenebat. Et quomodo fieri potest, vt Angli nõ maiorẽ in partẽ sint Catholici: quum vel ipsi, vel certe patres ipsorũ in hac sanctissima fide nati sint & educati: Anne adeo facile fuerit Religionẽ, etiã quũ altissimas in animis nostris radices egerit, tollere penitus & extirpare? Aut adeo inconstans voluntas nostra sit, vt solidissimis tã sanctæ Religionis dogmatis imbuta & præceptis informata, velut Pro-

teus

teus quidã, subinde in varias sese induat opiniones? Equidem fidei nostræ character multo altius cordibus nostris imprimitur, quã vt tam cito doleri vel obliterari possit. Quãuis autẽ Angli ad Regũ suorũ voluntatem sese accõmodent, & ab hoc diuersarũ opinionũ torrente abripi se patiantur: fieri tamẽ nõ potest quin in penetralibus animi non id remaneat in quo vel ipsi vel parẽtes ipsorũ fuerunt instituti & eruditi: Quocirca extra dubiũ fere est, quin illi, si id sine magno periculo fieri posse animaduerterint, animi sui sensa sint declaraturi. Quantum enim apud omnes populos semper valuerit & quantũ adhuc valeat religionis in qua quis natus est & educatus respectus, tũ ex antiquorũ quam recentiũ bellorũ historia manifestũ est, quorũ pleraq; pro defendenda & propaganda religione gesta sunt.

Tertia hæc est: quũ Rex Catholicus nõ solũ opibus ipse ad miraculũ abundet, verum etiã in toto suo imperio innumera habeat quæstuosa officia, tã sæcularia quã ecclesiastica, adeo vt bene de se meritis amplissimas habeat referẽdi gratiã occasiones; facile eidẽ fuerit Anglorũ animos ad se pertrahere, & opulenti alicuius prouentus spe inescare. Cuius rei quanta vis sit, videre est in Philippo Macedone Alexandri Magni patre, qui hoc modo breui temporis spacio vniuersam fere Græciam suo imperio subiecit. Vnde memorabile est eiusdem *Spes lucri quam valida.*

Hipatam obsidentis apophthegma, quum ijs qui inexpugnabilem vrbem illam esse dicebant, respondisset, Nullum locum adeo munitum esse quin expugnari possit, ad quem quidem nudo pecunia onusto, aditus pateat, nec fefellit eum opinio, postquã scilicet corruptis auro custodibus & præsidiarijs, dictam vrbem, ceteroqui insuperabilem habitam, expugnauit.

Solutio obiectionis: quæ tamen deest.

Quum demonstratis hactenus rationibus ob quas Rex Catholicus Angliam potius inuadere debeat quam Belgium; necnon quam facile eidem sit Angliam occupare: restat, ne quid hac in re inexplicatum maneat, vt eorũ respondeã obiectioni, qui aiũt Angliæ occupatione vetus illud bellũ, quod iã sub pacis cineribus latet, inter Catholicũ Regẽ siue Burgundicã domũ, & Reges Frãciæ resuscitatũ iri, & in multo maius fortasse incendium quam vmquam antea, erupturum. Neq; enim credibile esse Franciæ Regem ociosum huius Tragœdiæ spectatorem fore, cuius catastrophe Franciæ regno maximum periculum, & fortasse exitium quoque afferre posset. Vnde ratiocinantur quidem; Franciæ regem cum Anglia potius arma coniuncturum, quam passurum vt Hispaniæ Rex, ea oppressa, arma inde in Franciam transferat, cum pręsentissimo regni exitio.

LECTO-

LECTORI S.

QVæ ad vltimam Dissertationis huius partem, nimirum quidnam Franciæ Rex, armis à Catholico Rege contra Anglos sumtis facturus sit, aut facere queat, pertinent, in omnibus quæ vidi italicis exemplaribus omissa sunt. Caussam equidem nescio: eam tamẽ indagare sagaci Lectori haud difficile fuerit. Interim politicarum rerum non imperitus sibiipsi thema hoc proponat, & quid in vtramque partem adferri possit, perpendat. V.

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XLIV.

Quod est.

Portuum & Arcium tam Angliæ quam Scotiæ accurata

DESCRIPTIO:

ITEMQVE

DE APPARATIBVS TERRA

mariq; ab Anglia regina contra Hispanicam classem factis

NARRATIO.

EA Angliæ pars quæ Meridiem spectat, non fertilitate tantum verum etiam Portuum & Arcium multitudine tam Orientalem quam Occidentalem *Angliæ pars Australis.*

 plagum

& quatuor velut angulis, quatuor Galliæ prouincias respicit, Flandriam scilicet, Normaniam, Picardiam & Britanniam Armoricam, & vlterius aliquanto, Rupellam oppidũ, ita vt Strabone teste, certo quodammodo Scaldis & Locris (Liris fortasse) nobilissimorum fluuiorum faucibus quasi occurrat.

Vectis insula. Facto ergo à supradicta plaga & Ostio Tamesis fluuij initio, primum Vectis insula occurrit, Francisci illius Draconis famosissimi piratæ patria, piscatoris (quod hominum genus magnam partem illius insulæ incolit) filius, qui maritimas Hispaniæ oras, immo vniuersum Catholici Regis imperiũ multis depredationibus vexauit. Draconis vero nomen ipse sibi sumpsit, quod est serpentum quoddam genus. Vnde Dunkercani insignem nauem instruxerunt, Doggam (id est, Canem) à se appellatam, innuentes ea se Draconem hunc venaturos, & forte capturos.

Insula vero hæc in ipsis Tamesis iacet faucibus, qui fluuius Londinum regni metropolim, mediam scindit, & spacio sexaginta milliarium in mare se exonerat: maris vero fluxum ac refluxum ad ipsam vsq; vrbem vehementi cum cursu sentit, atq; ita etiam maximis nauibus aditũ eò vsq; contra fluminis cursum ab Oceano quasi repulsum, prębet. Introitus vero ibi periculo-

sus

ſus admodum èſt, vt plerumque in omnibus fluuiorum oſtijs, frequentibus hinc inde breuibus & arenarum cumulis aqua opertis, ita vt ad inueniendum oſtiū magna diligētia opus ſit, ac locus ipſe, vt apud Virgilium eſt, Statio male fida carinis, appellari poſſit.

Sequitur inde Promontorium Lantium à veteribus appellatū, vbi olim inſula fuit, iam vero tantum ab Oceano & Tameſi eò arenarum aggeſtum eſt, vt terræ cohæreat.

Non procul inde Sanduicum oppidum eſt, quò Belgarum naues frequentes appellunt, vt & vicinorum.

Viginti milliaribus inde abeſt Douera, præcipua regni arx, & firmioribus quam ceterarum vlla præſidijs munita; ſub qua Venetorum & Gallorum naues, negociandi cauſſa eò profectæ, ſolitam fere habent ſtationem. Douera.

Inter duas has arces ſiue oppida quantūuis magna claſſis tota æſtate ſe cōtinere poteſt, ſpirantibus ibi ſemper aut plerumq; ea anni parte Eteſijs, qui tamen cum anni partibus mutantur: neq; vero è dictis iam oppidis naues ibi ſtantes offendi poſſunt, quū alto loco illa ſita ſint & machinarum ictus naues ſuperuolent. In hoc quidem litore Cęſar ſine dubio Romanorū expoſuit exercitū; ſiquidem, vt ipſe teſtatur, poſtquam Galliæ oram (vbi Caletum iam eſt) tertia noctis vigilia, id eſt, tribus ante lucem horis

horis soluisset, quarta diei hora Britanniam insulam tenuit: quod iter hodie pari fere temporis spacio confici solet. A Douera enim Caletum vsque Piccardiæ portum, vigintiquinque numerantur millia: quod specium Cęsar dicit esse passuum millia triginta. Crescit vero ibi & decrescit aqua sonis horis, & omnis ventus ad traijciendum commodus est, minoribus præsertim nauigijs quæ velis & remis sunt instructa. Scio ego Franciscum I. Galliæ Regem ad prædictum locum exercitum trecentis nauibus trāsportare & in terram exponere, aliquādo olim secum constituisse.

Duni. Hoc terræ tractu Duni, id est, arenarum cumuli, instar montium in altum tollūtur: & in Gallia quidem Angliæ litus, in Anglia vero Galliæ litus cerni potest, ac pręsertim arenarum illi albicantes cumuli & candida saxa Angliæ, vnde olim fortassis insula hæc Albion dicta fuit.

A Douera in meridionali plaga Richeth occurrit, exiguum oppidum, & portus valde incommodus, vtpote in ostio fluuij alicuius positus, vbi cum æstu pleraq; omnis aqua in Oceanum relabitur.

Vlterius aliquanto portus & oppidum Vilihensei conspicitur; ac non procul inde Hustung; nec non Arondel portus & oppidum inter cetera Angliæ non postremum; cui præest Arondelius Comes, iuuenis ma- (Arondel.)

gno

gno ingenio & ſatis litteratus, quem non ita pridem Angliæ regina cuſtodia incluſit, eò quod Catholicam ſequeretur religionem, & Hiſpaniarum Regis forſan eſſet ſtipendiarius.

A Douera Arondeliam vſq; importuoſum valde eſt litus & arenarum cumulis impeditum, allabente ſcilicet æſtu; quo recedente ad vnum circiter mare litus ſeſe aperit, adeo vt refluente Oceano ijs in locis quoque exercitus in terram exponi poſſit.

Inde Vectis inſula è mari exſurgit, ad multas res admodum opportuna. Eius ambitus decem circiter eſt milliarium. tota in montes attollitur: quà vero Angliam reſpicit, ampliſſimum & commodũ valde portum habet, Neuport dictum, & arcem tam opere quam natura ſatis munitam. *Vectis inſula.*

Longius Occidentem verſus ſitum eſt Albiach oppidum, vallo & mœnibus vndique cinctum.

Eadem inſula è regione Antonæ non ignobilem Angliç portum habet oppoſitum; vbi ſinus maris ſeſe aperit, tutiſſimum nauibus perfugium. Duæ ibi arces ſunt ad defenſionem valde opportunæ, vna in plaga orientali, Portiſmuth dicta; altera Antor nomine, occidentem verſus. Regio plana eſt & campeſtris. Eodem in litore ſequitur Paul, quod viuarium ſignificat, aut lacum,

vel

vel paludem; ibique & portus & arx est. Inde sinus maris ad viginti circiter milliaria in terram irrumpit, ad Leicestriam vsque siue Exoniam, oppidum valde opulētum, vbi tuta nauibus est statio, & arx insuper: quæ tamen ob nimiam à mari distantiam, exscensionem prohibere non potest.

Est etiam ijs in locis alius portus & arx, Totines nomine, itemq; S. Mauritij, ad duodecim milliaribus in terram introrsum porrectus.

Plemuth. Plemuth quoque bonus portus est, & oppidum satis munitū, quo plerumq; onerariæ mercatorum naues ex Hispania appellunt. Vltimus in hoc litore portus est Falmuth, cum arce non contemnenda.

Omnes vero iam dicti in meridionali plaga Angliæ portus superiores reges præsidijs & arcibus firmârunt, ne à Gallis infensissimis ipsorum hostibus occuparētur; id quod ipsi in Gallia fecerant, Caleto, Bononia Armorica & alijs ibi locis in potestatē redactis, & firmissimo præsidio munitis.

Inde porro ad vltimum vsq; Occidentis promontorium altissimi montes exsurgūt, qui S. Michaelis vulgo dicuntur; nec non promontoriū Connabin. Et sic in vniuerso hoc litore hactenus recensito, portus reperiuntur tredecim, arces vero siue oppida quindecim. Ab eodē capite in Occidentali plaga, quà Hispaniam Anglia respicit, duo sunt oppida, Bristoliū vna in fine sinus po-

situm;alterum Milfortum:quorum vtrũq; portum habet vel magnæ claſſis capacem. In eadem plaga vlterius nauigando, in fretum peruenitur,inter Hiberniam, Angliã & Scotiam poſitũ:quod ſi Cæſari credimus, multo anguſtius eſt quam Gallicum, inter Doueram & Caletum.

Hibernia insula. Eſt vero Hibernia inſula, tota Britannia,ſiue Anglia & Scotia,ſemiſſe fere minor Quamuis autẽ ſeditionum ibi nũquam ſemina deſint: Angliæ tamen Regina vniuerſum fere maritimũ tractũ ſub imperio habet;in quo valida vbiq; tam peditũ quam equitum præſidia ſunt diſpoſita, quorum numerum ad duodecim millia eſſe perhibẽt,qui ipſe quoq; poſt vltimos illos motus Gregorij XIII. Papæ inſtinctu factus,auctus fuit. Primaria inſulæ ciuitas & Archiepiſcopalis ſedes Armaçana eſt?non lõge inde orientẽ verſus abeſt Tridat,flumini adſitũ,& poſt illud,totius inſulæ nobiliſſimũ oppidũ, Dubliniũ ſequitur, vbi in Angliam traiecturi naues cõſcendunt,& Ceſtriam inde è regione oppoſitũ Angliæ oppidũ, traijciunt. In plaga Septentrionali vnam tantũ habet oppidum ſiue arcem & portũ, Vuocuerges dictũ. Quà vero Angliam reſpicit ſeptem ſunt arces, cum ſuo quæque portu, ſcilicet, Dublin, Arglay, Imbrach, Beremori, Vaterfort, Vexford, & Kinſal, qui vltimus in auſtrali plaga ſitus eſt.

Naui-

Nauigatio huius freti inter Angliam & Hiberniam periculosa admodum est, propter fluminum concursum, qui ex vtraque insula tanto cum impetu in mare exonerātur, vt aqua quasi bullire videatur, & naues eius vi quò minime volunt abripiantur.

Cestria *Lancastria.* Duo vero præcipua Angliæ sunt oppida & portus Hiberniæ obiecti, vnus Cestria quò Hibernos appellere solere supra diximus; alter Lancastria, vbi olim Regem eius tractus sedes fuit. Intermedia iacet Mona insula XL. milliaria ambitu complectens, cum oppido, & arce Russeo (forte Rossur) dicto. E regione in Anglia sita est Lartingh (forte Garteys) arx & portus: & ex aduerso in Scotia, Dumfres, Gallouidiæ portus, cuius domini nullius agnoscunt imperium, sed tam Anglos quam Scotos rapinis infestant. Ibi priscis temporibus murum aiunt fuisse, ab vno maris latere ad alterum ductum, cuius initium fuit in Occasu ad ostiū fluminis Salici, finis vero in plaga Orientali, ad ostium fluminis Zinan; longitudo vero septuaginta circiter milliarium. Hodie vero murus hic magna sui parte dirutus est, ac regni terminus Tueda fluuius censetur, ad cuius ostium Baruicum est, oppidum vix vlli in tota insula cedens, vtpote in quo tria peditum millia & equites non pauci continuo præsidij caussa aluntur. Est vero Baruicum oppidum in Orientali Angliæ plaga

plaga situm, portum habens amplum, cum validissimo præsidio. Non longè inde abest Lacra insula, quæ arcem habet scopulo impositum. Ad ripam Tuedæ fluminis triginta inde milliaribus Rosburgum abest, munitum oppidum: & paullo superius non procul à capite dicti fluuij, quà per montes patet transitus, Varch Scotiæ proximum, & satis firmum oppidum. Legenti iam Orientale Angliæ litus, primũ occurrit Neucastle, ad flumen positum non longe à muro illo oppidum, ad cuius muri custodiam Angli præsidia habent ad Sanduicum, Sasbrog & Auulle, qui naues è Noruegia & alijs Septentrionalibus regionibus appellere solent: deinde Bascon, Sermout, & vltimo loco Pluich. Qui portus omnes ad magnam classem recipiendam ac defendendam satis sunt opportuni. Hæc de Anglia.

Scotia, cuius primaria vrbs Edimburgum dicitur, ea parte qua Angliæ confinis est, duas tãtum habet arces siue munita oppida, Dumbarum scilicet, Baruicò oppositum; & in plaga Occidentali Britannodunum, altissimo monti ab alijs quasi auulso, impositam arcem, agro Sterlinensi confinem. Et sic se quidem Scotiæ fines versus Angliam habent, quantum ad munita loca attinet. Licet autem pluribus Scotiam hic describere ab instituto nostro alienum sit, illud tamen silentio prætereundum mi- *Scotiæ situs, ab Anglia.*

hi nó videtur, Regé, si vel maxime quæ velit cósequatur, ex vniuerso regno vix centum scutatorum millia quotannis percipere.

Quos apparatus Regina contra Hispanicam classem fecerit.

Iam operę precium videtur paucis indicare, quomodo Anglorum Regina & vniuersa gens ad defensionem sese præpararit. Primum in omnibus arcibus præsidiariorum numerus auctus, tum ingens armorũ, alimoniæ ac reliqui bellici apparatus vis conuecta est. Ne vero hostis ex improuiso alibi erumpat, locis editioribus per totum litus antennæ siue oblongæ trabes collocatæ sunt, appensis vasis pice ac simili materia plenis, eum in finem, vt interdiu quidē hostis aduentus fumo, noctu vero igne significari, & mature hosti occurri, aut quod in rem fuerit, constitui possit.

Vniuersũ Angliæ regnũ diuisũ est in Comitatus LI. Comitibus vero singulis suę assignatę sunt stationes, quò cum suis, hoste ingruēte, accurrant. Arma eorũ sunt arcus, quos inprimis scite tractãt, sclopeta, sarissæ, gladij cũ clypeis & alia id genus, quorum magnam copiam olim in arce siue armamentario Londinensi vidisse me memini.

Maris siue classis præfectura Carolo Hauarto commissa est, eique vicarius datus Franciscus Draco; qui partem classis, Normanorum, Britannorum & Rupellano-

rum

rum concursu valde auctæ, locis oportunis collocauit, ad insulas scilicet illas quæ inter Rupellam & Angliam sitæ sunt, hostium inde consilia obseruaturus, & exscensione prohibiturus, vel vltro etiam aggressurus. Quia vero metus est ne Hispani portum Milfortensem occupent, atque inde ad Eboracum vsque (quæ post Londinum tam diuitijs quam agri fertilitate facile primas tenet) arma proferant, atque ita partem totius regni opulentissimam sibi subijciant: prædictum portum validissimis tam nauiũ quam militum præsidijs Regina muniri iussit.

In media hac planicie quæ inter Milfortum & Eboracum iacet, Milort Robertus (fortasse Leicestrium Comitem innuit) reginæ adhuc gratia florens, egregiam arcem ad militarem architecturam ædificauit, & insigni armamẽtario instruxit. Maris tamẽ præfectus ad Doueram stationem habet, quò dici vix potest, quantus ex Hollandia & Selandia nauium & nautarum fiat concursus.

Classem Anglicanam aiunt constare ducentis & quinquaginta quatuor nauibus, ê quibus viginti prægrandes sunt, & regio plane apparatu instructæ: centũ vero & octoginta mercatorũ tã Anglorum quam aliarum nationum naues, mediocribus sunt *Classis Anglicana.*

 maiores;

maiores;reliquæ minores sunt, & inter has non pauca catascopia siue speculatoria nauigia, vt Cæsar appellat.

Quamuis autem in oppugnanda Anglia non paucæ se obijciant difficultates, illa inprimis, ne si vel maximè Hispani satis virium habeant tam ad committendum cũ hoste in mari prœlium, quam ad exponendũ in terram militem, Angli tamen pugnam eousque detrectent dum Hispani in terram descenderint, ac tum demum classem adoriantur, vnde nõ leuia nasci possent incommoda & pericula: pro certo tamen habetur è binis classibus quas Rex Catholicus instructas habet, vnamquamque satis validã esse ad vniuersam hostium classem profligandam, ita vt & exercitum in terram exponere, & hostiles conatus facile possit reprimere.

Neque vero Anglicæ Nobilitati, & in vniuersum ijs qui Catholicam ibi sequuntur religionem, magnopere fidẽdum, aut multum in eis spei ponendum arbitror; vt qui aduersus exteros non valde bene sint animati, tum in armis parum exercitati, & triginta annorum pace omnino fere eneruati. Nihilominus alia ratione Expeditionis huius successus plurimum inuari poterit, si videlicet per Scotiam in Angliam fiat inuasio, Nam si Scotiæ Rex Hispanos classem in portum aliquem, vt Letham, Dumbarum,

vel

vel alium hanc ad rem opportunum, subducere patiatur, atque etiam arma cum eis coniungat, certum est facilem Angliæ fore occupationem.

Impedimẽta siue difficultates huius Expeditionis.

Hic tamen non leuia occurrunt impedimenta. Primum est, itineris siue viæ longitudo, quum tota Hibernia, & quidem per procellosum illum Borealem Oceanum circumnauiganda sit, quod spacium ad Hebrides vsque insulas, plusquam octingenta milliaria complectitur, ad plagam scilicet vsuue Scotiæ Occidentalem. Si quis vero classem in plaga eius Orientali subducendã dicat, is altero tãto longius iter faciet. Certũ insuper est tantũ ibi marini æstus, præsertim noua & plena Luna, vim esse vt vel secundo vẽto superari vix possit. Et si exercitus in terram expositus & classis in tutum locum subducta fuerit: nihilominus tamẽ iter per loca aspera & salebrosa ac mõtibus impedita faciundum erit, & annonæ defectus metuendus.

Angli præterea ad Tuedam fluuium procul dubio hosti sese obijcient, cuius illi ripã tribus, vt supra diximus, munitam habent præsidijs, præter antiquum illum murum, vbi facile illis fuerit è locis superioribus hostem omni telorum genere impetere, & extremum agmen, vt Cæsar loquitur, male habere.

Etsi vero hæc omnia non parui sunt momenti: ego nihilominus felicem huius Expeditionis successum à Deo sperandum esse iudico, vt quæ pro Religione aliasque iustissimas ob caussas suscipiatur, & quidem ijs viribus quantas in binis tam validis classibus esse par est: tum ab eo imperatore qui experientia rei militaris tam mari quam terra, prudentia, fortitudine, ac felicitate vix vllum hodie parem habet, Duce scilicet Parmensi, & quidem felicissimis Sixti V. Papæ, Principis optimi auspicijs.

LECTORIS.

IN SEQVENTI CAPITE, Lector, tanta est Anglicorum nominum in Italico exemplari corruptio, vt omnia nobis emendare statim impossibile fuerit. Eorum ergo correctionem, vt & rem ipsam, tuo iudicio committo.

(∴)

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XLV.

Quod est.

NARRATIO

DE SVCCESSV, QVEM FAMOsa illa Catholici Regis claßis in Anglia oppugnanda habuit.

DIE XXII. Iulij Anno MDLXXXVIII. Dux Medinæ classem vniuersã è Coronési portu eduxit, Noto spirante, quo per aliquot dies vsa illa, magnum breui tempore spacium confecit. Die Lunæ qui XXV. fuit eius mensis, idem Dux felicem nauigationis successum animaduertẽs. Don Rodericum Tellum Dunkercam præmisit, qui Parmensem de classis aduentu certiorem faceret, & quod in rem esset, moneret, in primis vt in promtu omnia haberet quò mature suam Regiæ classi posset coniungere. *Hispanica classis soluit.*

Sequenti die XXVI. Iulij malacia fuit, & densa toto mari nebula, quæ ad meridiem vsque durauit, tumque Aquilo flare cœpit, tandem vero Zephyrus, ad mediam vsque noctem, quam Eurus excepit. Hoc die Galera prætoria, Diaria appellata in portum rediјt, quod aquę per rimas magna in eam copia influeret.

Tempestate iactatur.

Die Mercurij, XXVII. magna serenitas vnà cum sole affulsit, vento ponente, & & mari pacato. Lustratione facta, quadraginta naues & tres Galerę desideratæ sunt. Iacta bolide, aquę altitudo deprehensa fuit triginta quinque cubitorum, tumque à Sorlingis triginta fere milliaria classis aberat. Ibi Medinæ Dux tria speculatoria nauigia emisit: vnum ad promontorium Arisarte, exploratum an eò forte naues quę aberant, appulissent: secundum, ad terram cognoscendam: tertiam retrò, cum mandato, vt ōnes regiæ naues quæ à classe adhuc aberāt, summa contentione ad reliquam classem properarent.

Die Veneris, XXIX. regia classis, Zephyro adspirante, nauigationem continuauit: tumque illud catascopium quod ad Arisarte promontorium à Duce missum fuerat, redijt, indicans, Don Petrum Baldesium eas naues quæ à classe aberrarant, recollegisse, deesse tamen prætoriam Ioannis Martinesij Ricaldi, qua Nicolaus de Isla militum tribunus

bunus

bunus siue Campi Magister vehebatur, & tres Galeras, quæ incertum sit quò cursum instituerint. Eodem die Angliæ terra regijs in conspectum venit, illud ipsum scilicet quod diximus, Arisarte promontorium.

Die Sabbathi, XXX. regia classis ad terram proxime accessit: cuius conspectum Angli continuo per dispositas pharos fumo & igne significarunt. Sole cadente, Dux Ioanni Gilchio vexillifero mandauit vt è hostibus aliquem interciperet, quo certi aliquid de eorum rebus posset cognoscere. Eodem die naues aliquot in conspectum nostris venerunt, sed quod aer valde esset nebulosus & pluuiosus, numerus earum iniri non potuit. Circiter mediam noctem Gilchius vexillifer redijt, & tres vel quatuor Anglos piscatores secum adduxit, qui Falmuthi se habitare dixerunt, ex illa ipsa nocte maris præfectum & Draconem cum classe è portu Falmuthensi in altum prouectas esse. *In Angliæ conspectum venit.*

Dominica, XXXI. mutante vento, sexaginta circiter naues in occursum Hispanicæ classi tendentes, & non procul à terra, aliæ vndecim infra ventum conspectæ sunt, & inter has tres fuerunt eximiæ magnitudinis Galeonæ, quæ venti beneficio vsæ, & frequenter in Hispanicas proximas iaculantes, reliquæ classi sese coniun-

xerunt. Ibi Medinæ Dux, imposito super dolonem regio vexillo, aciem instruxit. At hostis præteruectus, in primum classis Hispanicæ cornu vehementer detonuit. Ei præerat Don Alphonsus Læua, qui hosti diu fortissime restitit. Inde in vltimum agmen, quod Ricaldus regebat, impetum fecerunt Angli. Et Ricaldus quidem & ipse ad summam diligentiam nihil reliqui fecit, vt suorum, qui ad classem enixe properabant, fugam sisteret, donec nauis qua vehebatur, multis ictibus perforata, dolone & vexillo deiectis, ad defensionem pæne inutililis fuit reddita.

Restabat Gryceiua à tergo Ricaldi, vna cum Didaco Pimentel in S. Matthæo Galeona, & Didaco Enriques, Martini Enriquis Peruani proregis filio, in Galeona S. Ioanne, è cohorte Didaci Flori. Ibi reliqua classis vela collegit, & tantisper moram traxit dum Ricaldi prætoria in aciem esset recepta. Sic igitur Angli agmen suum extenderunt, Medinæ vero Dux classem suam recollegit, quũ aliud facere non posset, vento Anglis fauente, qui momento temporis naues suas, mirabili agilitate in quamcumque partem vertebant. Ea quæ diem hunc sequuta est nocte S. Catharina nauis stationem sibi assignatam reliquit, & quod valde esset lacera, in mediam aciem fuit recepta, dum reficeretur. Interea

Hispa-

Hiſpani modis omnibus venti beneficium eripere Anglis ſtudebant: tum vero ignis eam nauim, in qua regius quæſtor vehebatur, corripuit, adeo vt caſtellum quod vocant, in puppi combuſtum fuerit. Id Dux conſpicatus, nauigia aliquot magna celeritate ſummiſit, quorum ope incendium exſtinctum fuit; Angli vero qui nauim prædictam inſequebantur, vbi Hiſpanicam claſſem conuerſam viderunt, ſeſe receperunt: atque hoc modo nauis illa recuperata fuit & in aciem recepta. In hac cõuerſione, dolon Petri Baldeſij nauis in antenuam mali maioris incidit. Dux quidem opem illi ferre modis omnibus nitebatur: ſed quum ventus eſſet vehemens, & mare turbulentum, facere id non potuit, ſed eam omni celorum vſu propè deſtitutam, relinquere eſt coactus: Quoniam vero multa nox erat, & Didacus Florus Ducem monuerat, ſi moram ibi trahere, & dictam nauim exſpectare vellet, claſſem non aſſequuturum, vt quæ longius iam prægreſſa fuerat, immo poſtero die vix ſemiſſem claſſis ſecum habiturum; neq; vero par eſſe, vt hoſte tã propinquo, vnius nauis gratia vniuerſam claſſem tanto exponat periculo; nec dubitare ſe, ſi vel paruã ibi morã traxerit, quin prœlio inferior ſit futur⁹: Dux Oxedę Capitaneo, adiũctis Petri Baldeſij & Didaci Flori ꝑtorijs, itẽq; quatuor minorib⁹ nauigijs & vna Galeaz-

Galeazza, periclitanti naui, & vectoribus subueniendi dedit negocium; quod tamen ille perficere non potuit, tempestate & tenebris impeditus. Sic ergo Dux ad classem reuersus est, in qua recolligẽda vehemẽter allaborauit. Calendis Augusti Dux Medinæ Alphonso Læuæ mandauit, vt primum nauium agmen cum extremo coniungeret, adiunctis tribus insuper Galeazzis, & S. Matthæo, S. Ludouico, S. Iacobo, & Florentina quadam è Lusitanorum cohorte, Galeona. In vniuersum tum in classe erant quadraginta naues maiores, cum quibus Dux Anglis obuiam ire statuerat, qui vnicè id impedire conabantur, ne Hispanica classis se cum Belgica, quam Parmensis adducturus dicebatur, coniungeret. Ipse Dux primum agmen ducebat: ita vt vniuersa classis in duas tantum acies esset distributa. Deinde vocatis ad se vigilum præfectis, vniuersam classem circumiri, & suam vnicuique naui stationem assignare iussit, secundum formam scripto consignatam, sibique in Hispania exhibitam, addito mandato, vt quicumque stationem suam deseruisse esset deprehensus, statim ei gula laqueo frangeretur; adiunctis eum in finem tribunis quibusdam campestris militiæ, & lictore. Decimaquinta eius diei hora ad Ducem venit Oquenda Capitaneus, nauim suam à submersionis periculo parum abesse significa-

çans.

câns. Quocirca vectoribus Ducis iussu, itẽque regia pecunia in alias naues receptis, dicta nauis submersa fuit. Subnoctis crepusculum Dux Ioannem Gilchium vexilliferum ad Ducem Parmensem ablegauit, & quibus in angustijs versaretur, significare iussit.

Die Martis, II. Augusti, albescente cœlo, Anglica classis ob ventum aduersum, terræ quam proxime potuit adnauigauit, interim vero Hispanis venti beneficium eripere magnopere contendebat. id Dux animaduertens, beneficium illud tueri modis omnibus satagebat. sequebantur eum Galeazzæ, reliqua vero classis pars longius aliquanto aberat. Angli vbi prætoriam regiam litus legere, nec venti beneficium ei posse eripi animaduerterunt, retro sese receperunt. At Hispanicæ naues vento superiores vltro hostem oppugnarunt. Martinus Vantendoua in Anglicam prætoriam illatus diu acerrime cum ea pugnauit: quem sequuti sunt Marchio Pegnafilius cũ Galeona S. Marco, Augustinus Mexia cum S. Ludouico, Didacus Pimentel cum S. Matthæo, Franciscus de Toleto cum S. Philippo, Didacus Pacecus cum Oquendi prætoria, Didacus Telles Euriques cum S. Ioanne de Sicilia (is ad sequentem vsque diem hostem persequutus est) Gaspar de Sensa cum Galeona Florentina, Antonius Pereira

cum

cum S. Iacobi, Didacus Enriques cum S. Ioanne Didaci Flori prætoria, Alphonſus Luſſon cum Veneta Salenzera: Galeazzæ vero, quas in primo agmine collocatas diximus, vt à terra, ita à periculo non admodum longe aberant, fluctuum vehementia abreptæ: quibus Dux mandauit, vt velis remiſque ad hoſtem contenderent, ipſe vero cum prætoria & alijs aliquot nauibus ad ſuum locum redijt, & ſuos quam potuit acerrime in hoſtem concitauit, parum tamen proficere potuit, quod Angli quamprimum Hiſpanicæ claſſis vim ſenſerant, in altum ſtatim auolarent, mox vero æſtu & vento ſecundo vſę rurſus inueherentur, & Hiſpanos vltro oppugnarent. Id Ioanni Martineſio Ricaldo accidit, in extremo agmine cōſtituto, cui Alphonſus Læua opem tulit. Regia prętoria tum in media acie verſabatur, Duce ſuos qui cum Anglis pugnam inierant, exemplo & verbis incitante. Quum vero in quanto periculo Ricaldus eſſet animaduertiſſet, Marolinum Capitaneum celocem conſcendere, & naues aliquot ſibi vicinas, Ricaldo auxilium ferre iuſſit. Quod conſpicati Angli, Ricaldum miſſum fecerunt. Redijt tamen mox Anglicana prætoria: cui Dux cum ſua ſeſe obiecit, & feliciter exoneratis tormentis, eam facile retroegit. In hac pugna regiæ præto-

riæ

riæ ſuppetias tulerunt Ricaldus, Læua, & Marchio Pegna filius, quibus deinde Oquenda etiam, iam commiſſa fere pugna, ſuperuenit. Poſt hæc Angli in altum ſeſe receperunt, quod nō leue damnum, dum ſuis à primo Hiſpanorum agmine incluſis ſubuenire ſtudent, accepiſſe viderentur. Prima luce ijdem rurſus Admirātam Hiſpanicam magnis viribus ſunt aggreſſi, & conuerberatis ictibus aliquot tormentorum Galeazzis (quæ nihilominus ſtationes ſuas tuebantur) alijſque nauibus, nulla re amplius perfecta, retroceſſerunt, prætoria Anglorum naui vehementer à Galeazzis concuſſa, & maioris mali deiecta antenna.

Die Iouis, IV. Auguſti, Angli rurſus validam impreſſionem fecerunt in S. Annam, & vnam è Luſitanis Galeonis, quæ à reliqua claſſe longius aliquanto aberant. His ſuppetias profecti ſunt Læua, Didacus Telles Enriques, & vnà cum Galeazzis, tam fortiter dimicarunt, vt eas è medio multarum hoſtilium nauium, à quibus erant circumdatæ, liberarint. Eodem tempore Angli in extremo Hiſpanicæ claſſis agmine collocatam prętoriā magno numero, ac propius quam vnquā antea, maioribus etiam tormentis vſi, inuadunt, adeoque; multis occiſis è maioris malo deturbant.

Pericli-

Periclitanti ſtatim adfuerunt Anguſtinus Mexia, Ricaldus, Didacus Enriques, Oquenda, & hoſtem, prætoria eius male habita, tandem recipere ſe coegerunt.

Hinc regia Hiſpanicæ claſſis prætoria Anglicanam vltro oppugnatum profecta eſt, ſequentibus eam Ricaldo, Didaco Telle Enrique, & alijs. Omnem victoriæ ſpem Hiſpani in eo habebant poſitam, ſi Anglos ad ſtatariam pugnam poſſent pertrahere: Magnis tum in anguſtijs prętoria Anglorũ, ab Hiſpanis vndique circumſeſſa, verſabatur, iamque parum aberat quin illi opem periclitantibus laturi, ad iuſtum & ſtatariũ prœlium ſeſe accingerent: quum ecce ventus Anglis iterum fauere cœpit, cuius beneficio prætoria rurſus euaſit, tumque ſimul vniuerſa Anglorum claſſis venti opportunitatem ſequuta eſt. Dux animaduertens è re minime fore hoſtilem claſſem perſequi & adoriri, præſertim quod Vectim inſulã haberet oppoſitam, ſigno dato ſuos inſtitutum prius iter perſequi iuſſit, atque ita hoſtilem claſſem longo interuallo reliquit. Eodem die Medinæ Dux Petrum Legionenſem ad Parmenſem ablegauit, & præſenti rerum indicato ſtatu, eum monuit vt quanta fieri poſſit celeritate claſſem ſuam cum regia coniungeret, ac ſimul pilas aliquot ferreas quaternum, ſenum & denum librarum ad ſe mitteret: Petri vero Baldeſij

munus

munus Didaco Enriqui, Martini Enriquis filio, commisit.

Die Veneris sub primam lucem, mari tranquillo, & hostili classe propinqua, Medinæ Dux Dominicum Ocham peritum nauclerum, ad eundem Parmensem ablegauit, cum mandatis, vt sine vlla mora XL. nauigia, quæ Fliebotas vocant, ad classem mitteret, quod sine his commode manus cum hoste conferi vix possent, ob nimiam Hispanicarum nauium magnitudinem ac tarditatem, summam vero Anglicarum agilitatem: ac simul quantum in celeritate momenti positum esset, significare iussit. Quia autem an Dunkercæ Parmensis esset, incertum erat; regia classis sole ad occasum vergente, Caletum versus vela facere cœpit.

Sabbatho, VI. Augusti, albescente cœlo, duæ illæ classes parum inter se distantes, in mutuum venere conspectum; Anglica tamen in Hispanicam nihil tentauit, quod secundo nauigaret vento. Circa meridiem Hispanis Francia terra apparuit, quà Bononia iacet: circa vesperam vero classis haud procul à portu Caletensi abfuit. Diuersæ ibi fuerunt sententiæ, plerisque vlterius nauigandum sentientibus. Quum vero Dux Medinæ è naucleris quibusdam didicisset; si vlterius progrederetur classis, verendum esse ne marini æstus vi in Oceanū

Septemtrionalem abripiatur : anchoras è regione Caleti iacere, septem à Dunkerca milliaribus, iacere constituit, vt tanto facilius cum Duce Parmensi se coniungere posset. Quo facto, Frediam Capitaneum ad Gourdanum Caleti præfectum misit, & caussas ob quas in anchoris ibi aliquamdiu subsistere cōstituisset, indicare, omniaq; beneuolentię & amicitię officia offerre iussit.

Eodem vespere sex & triginta naues cū Anglicana classe sese coniunxerunt, inter quas quinque fuerunt eximiæ magnitudinis Galeonæ, è Ioannis Aclis, vt postea intellectum est, classe, quæ aliquamdiu ad Dunkercam substiterat. Collectis omnibus quas poterat nauibus, Anglicus Admiralius ab Hispanica & ipse vix vno milliari distans, omnia rerū gerendarum momenta captauit. Ea nocte Eredia Capitaneus Caleto redijt, indicans oppidi præfectum Catholici Regis caussa omnia quæ posset facturum; quod ipsum etiam postea reipsa ab eodem abunde fuit præstitum. Eadem quoque nocte Medinæ Dux Secretarium suum Hieronymum Aretinum ad Parmēsem ablegauit, ac quibus in difficultatibus versaretur, ostendere iussit, vtpote ijs in locis in quibus diu subsistere non posset, nisi summo periculo vniuersam classem obijcere vellet.

Dominica, VIII. Augusti, mane Rode-

ricus

ricus Tellus Dunkerca ad classem redij, significans Parmēsem Brugis esse, vbi ipsum conuenerit, eumque magna cum voluptate regiæ classis aduentum accepisse.

Prima luce eius diei præfectus Caletensis nepotem suum ad Medinæ Ducem cum recenti annona alijsque ad reficiendum à nausea necessarijs ablegauit, ac simul monuit quantis in periculis, ob æstus vehementiam, classis ibi versaretur. Qua humanitate Dux inuitatus, Bartholomęum Predosam Prouisorem, & Ioannem Dortam quęstorem Caletum misit, alimoniæ coemendæ caussa: ac denuo per internuncium Parmēsem monuit, vt aduentū maturaret.

Eodem die Anglicæ classi rursus aliquot naues sese cōiunxerunt, ex ea vero vinginti sex circiter ad terram quamproxime accesserunt. Metuens ergo Dux ne forte incendiariam portarent materiam, Serario Capitaneo mādauit vt Pinassam cōscenderet, ac proximas Anglis naues moneret, vt si forte nauis incendiaria in ipsas impelleretur, in procinctu starent, & consilium ex re nata caperet. Circa mediam noctem primum duo ignes in Anglorum classe, mox vero octo conspecti sunt. Erant vero octo naues incendiariæ, quas Angli vento & æstu secundo contra Hispanicam classem emiserunt. Ad horū conspectū Dux metuēs ne præter ignis periculum alijs quoque *Naues incendiariæ.*

pestiferis instructæ essent machinis anchoras per vniuersam classem tolli iussit, ita tamen vt defunctæ hoc periculo naues, ad suā quæq; stationē reuerterentur. Et prætoria quidem Regia ad priorem locum rediјt & anchorā ibi rursus iecit: at præcipua è Galeazzis & S. Ioannes Sicula nauis, occursum vnius è nauibus incēdiarijs vitantes, ab ordinibus tam longe discesserūt, vt ad classem redire non potuerint: & quamuis Dux suis tormenti displosione recipiendi se signum dederit, id tamen à paucis fuit exauditum, sic vt multę Hispanorū naues versus breuia & arenas ad Dunkercam propellerentur.

Die Lunæ VIII. Augusti, Dux videns classem suam longius progressam, Anglicā vero sibi imminētem, anchoras leuari iussit, eo fine vt classem suam recollectam, ad pristinam reduceret stationem. Corus siue Circius tum spirabat, Hispanis eo in loco minus propitius: cuius, vt & æstus marini beneficio Angli cum triginta sex nauibus illati, Hispanicas quę restiterant, vehementissime oppugnarunt. Dux qui in extremo erat agmine, quum animaduerteret, ob arenarum cumulos nimis vicinos, classem à se recolligi non posse, periculi à Belgis naucleris quos secum habebat, admonitus, subsistere, & cum vniuersa Anglorum classe dimicare decreuit, interim vero eos qui ad breuia illa iam delati fuerāt, moneri iussit, & mo-

vt modis omnibus eluctari inde satagerēt. Nec mora. Anglorum prætoria cum maiori classis parte in regiam Hispanicam impetū facit, & è propinquo frequentissimis tormentorum ictibus continuo infestat. non tamen Hispanica prius proram conuertit, quā vbi Admirantā, S. Marcū Galeonam, & præcipuam Galeazzā ex arenis iā eluctatas vidit. Quum vero Galeazza hæc classem assequi non posset, Caletum versus cursum direxit, à sequentibus Anglorum nauibus tutum ibi perfugium sibi promittens. Læua, Oquenda, Ricaldus, & omnes tribuni militares siue Cāpi magistri, itemque Didacus Tellus Enriques, qui in prætoria Didaci Flori erat, impetū hostis quātum possibile fuit sustinuerunt, adeo vt pleræque ipsorum naues valde essent laceræ & perforatæ, pilis etiam ad iaculandum destitutæ. Franciscus de Toleto quum extremum hostilis classis agmen assilijsset, mox ab hostibus vndiq; circumseptus fuit & vehementer oppugnatus. Ei suppetias laturus Didacus Pimentel, eidem se inuoluit periculo: vterque tamen Ricaldi, Augustini Mexiæ & aliorum aduentu tādem liberati fuerunt. Inde ijdem, vnà cum Frācisco de Toleto, Didaco Pimentel, Alphonso Lussonio, Didaco Telle Enrique, & S. Maria di Begona hostem rursus aggressi, in magnas iterum angustias sese induerunt,

Toletus inprimis, Pimentel, & Tellus Enriques, quorum naues à præcipuæ magnitudinis Anglorū nauibus vndiq; circumsessę, omni telorum genere sine intermissione impetebantur. Animaduerso suorum periculo, cum regia sua prætoria & alijs, opem illis laturus, cursum in hostem concitauit, qui tamen mox retrocessit. Tunc Dux classem, quantum potuit, recollegit. Idem Angli fecerunt. Post hęc Dux nauigia quędam (Pataggia vocant) summisit, quę è S. Philippo & S. Matthæo Galeonis fathiscentibus vectores exciperent. & è posteriore quidē excepti sunt: quum vero Didacus Pimētel, qui S. Philippo præerat, nauim deserere plane recusaret, Dux Rodericum Bucenum & Ludouicum, Vanegum ablegauit, qui eas inspicerent, vtrum ad nagiuandum adhuc aptæ essent; qui tamen fluctibus impediti, S. Matthęum assequi non potuerunt, sed ea nocte Selandiam versus propulsam viderunt. S. Philippuus Galeona ad aliam nauim se applicuit, quæ mox submersa est. Ioannes vero Pozza Capitaneus in S. Philippū insilijt, & quod aliter facere non posset, Selandiam versus iter tenuit. Cupiebat quidē Dux eo die supra Anglicanam classem manere, nę freto relicto, in Oceanum ingredi cogeretur: at naucleri fieri hoc nequaquam posse dictitabant, præsertim quum ventum & æstū haberet aduersum; ac omnino necesse esse

se esse vt classis in septemtrionalem Oceanum educatur; quod nisi fiat, periculũ esse ne naues omnes ad breuia illa & arenas adhærescant.

Die Martis, IX. Augusti, duabus ante lucem horis, ventus inualescere cœpit adeo vt Hispanica classis, magno studio freti ingressum sibi conseruare satagens, Selandiã versus propelleretur.

Circa auroram, cessante Cauro, Anglicana classis centum & nouem nauium Hispanis à puppi apparuit, dimidio vix milliari distans. Regia Hispanica cũ Ricaldo, Læua, Galeazzis, S. Marco & S. Ioanne Galeonis, & Didaci Flori prætoria extremum agmen tuebatur, reliquæ vero naues longius aberant, & multæ infra ventum. Ibi Naues Anglicanæ impetum in regiam Hispanicam cõcitarunt, quibus tres Galeazzę & aliæ extremi agminis naues sese fortissime opposuerunt Tunc Dux, hoste paullũ recedente, terna tormenti displosione signo dato, classem recollegit, & nauclerum quemdam celoci impositum ad naues longius prægressas misit, monens vt Selandiæ litora & arenas quibus vicini erant, vitarẽt. Ea caussa fuit cur Angli tum à persequẽdis Hispanorum nauibus destiterint, vt quas in exitium iam pæne abreptas videbant. Affirmabant enim naucleri locorum illorum periti, impossibile esse vt

Coro siue Circio spirante, vlla nauis inde euadat, quin ad breuia illa & arenas Selādię adhærescat: iamque in vnius Dei ope spem omnem esse positam. In hoc præsentissimo periculo illud ipsum Dei affulsit auxilium, Circio vento in Africum commutato, cuius beneficio reliqua classis è freti angustijs & summa aquarum humilitate (alibi enim earum altitudo vix sex orgyarum deprehensa fuerat) in Borealem euasit Oceanum, integris omnibus quæ restabant nauibus.

Hispanica classis domum redit. Eo vespere Dux tribunos siue Generales Capitaneos & Læuam ad se vocauit, & exposito præsenti rerum statum, quid faciendum esset deliberare iussit, vtrum scilicet fretum rursus ingrediendum, an vero per Septemtrionalem Oceanum in Hispaniam redeundum esset. Ibi communibus suffragijs decretum est, Hispaniam repetēdam, quod multa necessaria, sed inprimis pilæ tormentariæ deessent, nec spes esset Ducem Parmensem tanta quanta opus erat celeritate classem suam educere posse; multæ insuper naues valde essent laceræ. Sic ergo inualescente magis ac magis Africo, Dux cursum magna contentione per dictum Oceanum cōtinuauit, sequenti à tergo Anglorum classe.

Die Mercurij X. Augusti, flante Noto, & mari turbulento, Angli vniuersam suam

classem

classem in extremum Hispanorum agmen cócitarunt. Dux non ignarus paucas ibi esse naues cum Ricaldo, cũ sua prætoria & alijs vela contraxit, & signo dato ceteros quoq; vt idem facerent, monuit. Angli vbi viderunt regiam Hispanicam cum Galeazzis & duodecim alijs maioribus nauibus, ad excipiendum impetum sese obiecisse, nulla re amplius tentata, retrocesserunt. Ea nocte Ioannes Acles cum suo agmine est reuersus.

Die Iouis, XI. Augusti, Hispanica classe institutum cursum persequente, Angli, qui longius aliquanto abstiterãt, circa vesperam omnibus velis expansis, rursus in Hispanicam impetum, fecerunt vel potius facturos se simularunt. Obijcientibus enim sese rursus Galeazzis, & regia prætoria occurrente, nulla re tentata itidem vt prius in altum reuolarunt. Tum lustratis nauibus, Ioannis Aclis absentia fuit deprehensa.

Die Veneris, XII. Augusti, mane rursus Anglicana classis apparuit quum vero Angli animaduerterent extremum agmen cũ primo coniunctum; domum repetituri, mox è conspectu venerunt.

Omnibus reliquis diebus Hispanica classis eodẽ vento vsa, nauigauit, donec ad Septẽtrionalis siue Noruegici maris fauces est peruentum: ac si vel maxime Dux versus Anglicanum fretum redire voluisset, id

tamen facere non potuisset, ante diem secũdum Septembris, quo iam vltimam Scotiæ versus Septemtriones insulam classis prætervecta fuerat. Tandem vento aliquanto prosperiore dictæ classis reliquiæ in Hispaniam sunt appulsæ.

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XLVI.

Quod est

TRACTATVS

DE DISTINCTIS NOBILITATIS *gradibus, & Dignitatum differentijs.*

Quæ in regiones politia consideranda.

QVum tria præcipue sint in administratione Regnorũ, Principatuũ & Prouinciarum consideranda, videlicet, Status Ecclesiasticus, Politicus, & Iustitiæ iurisque administratio: primum in quacumque regione obseruandum est, quot & quæ in ea politici

Status

Status sint membra, iuxta dignitatis ordinem ibi seruatum. Deinde in Nobilitatis distinctione (quam penes præcipuum est regimen) qui Principi sint feudales, qui liberi; idq; ordine, à summo Nobilitatis gradu descendendo, veluti Ducatibus, Comitatibus, Baronijs, Dominijs, &c. Tertio in quas præfecturas regio sit diuisa. Atque his tribus politicus cuiusque regionis status sufficienter declarabitur.

In iustitiæ administratione notandę erāt diœceses iuridicæ superioresque senatus ad quos fit prouocatio siue Appellatio. In Ecclesiastico statu, primum Archiepiscopi, si qui sunt; tum eorum suffraganei Episcopi, & qui præterea alijs suppositi sunt, ordine ponendi erunt.

Quoniam autem penes Nobilitatē præcipuæ sunt imperandi partes & munia: vtile & iucundum fuerit eius gradus ordine, & proprias cuiusque conditiones internoscere. Summus eius gradus est Imperatorius aut Regius, quem ordine subsequuntur, Dux, Comes, Baro, Tribunus militaris, (Banderheer vulgo) quasi Bendæ, hoc est, Turmę, quā sub suo Baniere, hoc est signo equestri ductat, Dominum. Post hunc est Eques auratus, siue Equestris Ordinis dignitatem adeptus, quem Galli Cheualier, Germani Ritter vocant. Postremo loco est nobilis scutatus (Escu-

Nobilitatis differentiæ & gradus.

(Escuyers Gallice, Belgis Schiltknap) qui insignia quidem Nobilitatis gestat, ordinis tamen dignitatem bublicam nondum est adeptus.

Comitum gradus. Iam Comitum tres sunt gradus. Qui in primo est à Gallis Viconte dicitur, hoc est, vt opinor, Vicecomes, seu Procomes, aut Princeps Comes, qui ceteris apud Ducem suum dignitate & priuilegijs præstat: quem Ludouicus Guicciardinus Burggrauium hodie dici vult. Et fieri potest hunc Comitum ordinem eò diminutionis delapsum esse: sed principio excellentior fuit eius dignitas, vt mox eius descriptio indicabit. In secundo gradu est Prouincialis Comes, Landgraue Germanice. In tertio Marchio, Marckgraue. Hi sunt præcipui Nobilitatis gradus atque ordo, iuxta quem regionis cuiusque dominium distribuitur. Sunt & aliæ quædam in his gradibus, subdiuisionis differentiæ, sed quæ priuilegijs magis quam regionis formæ distinguuntur. Eius porro ordinis qui recitatus à nobis est, differentiæ & conditiones, quemadmodum in Gallico libello, La diuision du Monde inscripto, exstant, hic à nobis tradentur, ab ima nobilitate aliorum graduum creationem deducendo, vnde illorum proprietates & regiminis ordo elegantissime elucescent.

Eques Auratus. Eques auratus, inquit ille, siue Cheualier, ex scutato Nobili sic creabitur. Si diu hic bella

bella ſequutus, arma exercuerit, pluribus conflictibus interfuerit, atq; vnde ordinis dignitatē honeſti tueri poſſit, habeat, ſitq; ex magna inſigni ac diuite familia; tum in aliquo cōflictu duci exercitus, aut ſtrenuo & generoſo Equiti petitionem ſuam explicabit, & finito conflictu, ipſe ducem aut Equitem dictum accedet, præſenſque in nomine Dei ac S. Georgij orabit, vt ſibi ordinis inſignia donet. Quo ille audito, gladiū ſuum educet, terque ſupplicantem feriet, dicendo: Ego te facio Equitem, in nomine Dei ac S. Georgij, ad fideliter conſeruandā fidem, iuſtitiam, Eccleſiam, viduas & pupillos. Quod ſi vero ſupplex etiamſi ſtrenuus, ſit tamen pauper, admittendus non erit, niſi tot illi reditus annui aſſignētur ac donentur, quot ad ordinis honorem & dignitatem conſeruandam opus eſt habere. Atque hic primus eſt ab imo Nobilitatis gradus.

Tribunus militaris, Banerherr vulgo, ex Equite aurato fiet, ſi diu ſequutus bella, ſatis terrarum ac redituum poſſideat, ad tenendos & ſtipendijs alendos quinquaginta Nobiles, hoc eſt, vnam Bendam ſiue Turmam, quæ ipſius ſignum equeſtre in militia ſequatur. Nemo enim ſignum ſiue vexillum erigere poteſt, niſi qui turmam hoc eſt, Bendam, quinquaginta, vt minimum, nobilium ſtipendiariorum ſuo ſumtu in *Tribunus militaris ſiue Banderheer.*

tu in

tu in militiam educere potest.

Baro. Baro ex Equite aurato aut etiam Scutato nobili creari potest, quando in suo Dominio quatuor Castellanias, habentes iurisdictionem altam, mediam & bassam (vt vocant) possidet: tum enim Rex illi conferre potest vexillum Baronatus. Ceterum hoc illi conferri non potest, nisi rebus fortiter in bello gestis. Itaque ex primo conflictu equestris fit ordinis, ex secundo Tribunus militaris, ex tertio, Baro.

Marchio. Comes, ascendendo, sequitur. Et quidem primo Limitaneus, quem Marchionem siue Marckgraue appellamus. Is autem in talem creari potest, qui duas aut tres Baronias in vno Ducatu conclusas possidet. Creari autem potest à suo Duce, in cuius ditione eas possidet.

Comes Prouincialis. Comes Prouincialis deinde, siue Landgraue, fieri potest, qui quatuor Baronias vni Ducatui inclusas habet, quem Dux in Comitem creat, aut etiam Rex per Ducis instantiam aut permissionem.

Vicecomes. Vicecomes (Viconte) Princeps Comes fieri potest, qui tenet quinque Comitatus, aut plures in vno Ducatu comprehensos habet aut iunctim sitos. Et potest à Duce in magna solennitate permissu Regis creari. Quod si Rex ipse præsens adsit, honorabilior fit Principatus.

Dux. Dux ex Comite qui futurus est, inprimis

mis in Regno in quo coronandus est, possideat quatuor Comitatus Principales, & in quolibet horum habeat alios quatuor Comitatus siue Baronias, illis quatuor Comitatibus fide & clientela obstrictos, sic ius Ducalis dignitatis consequẽdę liberum habebit. Coronandus est autem à Rege vel Imperatore cui subiectus est, galero margaritis & gemmis preciosissimis exornato, in florentissima suarum ditionũ vrbe, idq; in magno conuentu Principum virorum, Ducum, Comitum, ac Baronum, solenni etiam festo celebrato, quemadmodum in coronatione Regum consuetum est.

Qui Rex futurus est, necesse est quatuor Ducatus inter se cohærentes, & in quolibet Ducatu quatuor ciuitates, in quas nulli alij imperium sit, sibi subiectas habeat. In qualibet etiam harum ciuitatum Archiepiscopum vnum: sub vnaquaque rursus horum decem Prouincias Episcopales. His dotatus exornatusque Dominijs & dignitatibus, Imperatoriam Maiestatem tamquam suum superiorem adibit, aut ad se vt veniat, honorifica legatione inuitabit, & impetrabit vt ab ipso coronetur. *Rex.*

Recentior autẽ hæc eligendi Regis ceterorumq; Principum lex esse videtur. Quamdiu enim vagę nationes, Gothi, Vandali, Longobardi, aliæque plures, suos *Reges veñ insti.*

secum

ſecum Reges adducebant, non ex ampla terrarum poſſeſſione regiam dignitatem metiebantur,ſed ex viribus populique adducti multitudine. Nec Ducum etiam, qui primum à Longino Exarcho Rauennati Anno Domini D L X I X. & mox à Longobardis inſtitui cœperunt, alius fuit delectus, quam ex fortitudine & rerum gerendarum prudentia. Adde quod Paullus Aemilius teſtatur, Duces Comitesque principio ab Regibus ea lege gentibus ciuitatibuſque præfectos fuiſſe, vt quoties ex vſu eſſet, abdicarentur aut mutarentur.

Prima Ducũ &c. origo.

Neque vero dictæ creandorum Principum leges, quum hereditarias terrarum poſſeſſiones præſcribant, & certum earum modum poſtulent, condi potuerunt quamdiu temporario tantum beneficio Ducatus Comitatuſque à Regibus & Imperatoribus conferebantur. Quapropter licet præciſe eius inſtituti tempus indicari nequeat (nullam enim eius notam adfert Gallicus ille libellus) tamen ſub Othone I I. Imperatore, aut circa annum Domini milleſimum, vel paullo poſt, eam conſtituendarum confirmandarumque dignitatum rationem à Monarchis ordinatam fuiſſe, omnino eſt veriſimile. Enimuero vſque ad Othonem I I. pro ſua quiſque Princeps ambitione & potentia ad maiorem dignitatem regiamque Maieſtatem aſpirabat. Sic ex vno Lotharin-

Quando ordo hic cœperit.

tharingiæ regno, quod à Rheno ad Scaldim vſque extenſum, mari Friſico terminabatur, & vnius Lotharij, Ludouici Pij filij, erat, poſtea plura ſunt nata, videlicet trans-Iuranæ Burgundiæ, quod à Iura monte ad Alpes vſque extenſum, totam Heluetiam, Rauracos, Allobroges & Burgundos trans-Iuranos cõplectebatur: & Prouinciæ regnũ quod ſimul partem aliquam Burgundiæ ac Sabaudiæ comprehendebat, & poſtea appellatum eſt Arelatenſe, cuius etiam hodie Treuirenſis Elector Archicancellarius appellatur, Regnum item Lotharingiæ, quod Lotharingiam nunc dictam, & deinceps reliqua inter Rhenum & Scaldim vſque ad mare Friſicum continebat, & olim Auſtraſiæ regnum vocabatur. Rurſus hoc ipſum Lotharingiæ regnum Carolus Caluus, & eius frater Ludouicus inter ſe partiti ſunt, vtrobique Regis titulo ſeruato. Omitto alia eodem ſæculo pro imperandi libidine orta regna. At vero Otho II. Imperator Lotharingiam, ablato Regni nomine, in nouos Ducatus, Comitatuſque diſtinxit, veluti membris à corpore diuulſis & diſtinctis, vt habet Cuſpinianus, factaque diuiſione anno CMLXXXI. primum eius quæ nunc eſt, Lotharingiæ Ducem conſtituit Carolum Lotharij Regis Franciæ fratrem, vt latius ex aliorum patet monumẽtis. Ab eo tempore videtur arbitraria illa

regnorum & Principatuũ erectio desijsse, Monarchis tunc omnia ad stabile imperiũ dirigere cogitantibus, quod in iusta partiũ Imperij, quemadmodum in homine membrorum ad caput, proportione, & harmonia maxime situm est. Vt ergo in Principatibus & rerum administratione ordo aliquis perpetuo seruaretur, tandem eo fere quod diximus, tempore has leges excogitatas fuisse arbitror.

Habes vniuersæ Nobilitatis distinctos gradus, & dignitatum differentias. Iam obserua in vnoquoque regno, quomodo prouinciæ pro illorũ ratione sint diuisæ, quomodo regimen & vniuersitatis gubernatio, & qua proportione in hos gradus sint distributa: & quod cuique sit proprium officium: quæ cuiusq; ad alterum, & præcipue ad caput sit habitudo & necessitas. Videbis insignem harmoniam, ad pacem & trãquillitatem, ad robur & potentiam, ad diuitias & fastum, ad virtutem & sapientiã, ad Regni maiestatem, ad limitum extensionem, ad instabilitatem, ad declinationem & interitum, aut quocumq; aliò tendentem, vt sint administrationũ rationes variæ. Quæ minus recte succedere videris, aut iudicaueris, vnde id procedat contemplare; quæ bona & successu felicia inuenies, caussam illorũ disquire: sic optimam Politiam in Regnorum administratione speculaberis, ac

ſtudia hæc magno cum fructu tractabis.

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XLVII.

Quod eſt

POLITICI STATVS IN GALLIA regno.

DESCRIPTIO.

GAlliomnium ſcriptorum iudicio, populi ſagaciſſimi ac bellicoſiſſimi, optimum ſibi Politiæ ſtatũ conſtituere conantes, Monarchiam Regalẽ elegerunt. Natura enim ita comparatũ videbant, vt vnum aliquem excellenti dignitate magis venerētur & metuant homines, quam coactum aliquem numerum delectorum, qui tempore commutantur. Ratio etiam ipſa præſcribit, in omnibus rebus ad vnum aliquem, velut ad caput atque fontem, neceſſario confugiendum; & rem eſſe plenam incommodi & periculi, quando plures imperium ſimul obtinent. *Monarchiæ laus.*

Quin-

Quinetiam exempla testantur Monarchias, etiamsi vel interitu Principum vel alio quadam humano casu fuerint immutatæ, diuturniores fuisse & tranquillliores, quã vel Optimatum vel popularẽ statum: vt in Assyrijs & Agyptijs & Parthis, immo vt propioribus exemplis vtamur, in Britannia, Hispania Galliaque videmus; quibus sane prouincijs nullæ aliæ Respublicæ temporis diuturnitate conferri possunt Fit vero plerumque, vt Optimatum status, qui Aristocratia dicitur, in Oligarchiam commutetur, quæ paucorum est dominatus, quando ex optimatibus & primis ciuitatis quidam pauci, velut coniuratione facta, honores & emolumenta omnia inter se partiuntur, & suas priuatim fortunas amplificare student, neglecta communi vtilitate, quam solam & in primis curare debebant. Alterum genus quod ad promiscuum vulgus pertinet, & popularis status seu Democratia dicitur, semper habitum est tumultuosum & periculi plenũ, & viris præstantibus inimicum. Prudentissime ergo Galli populi ab omni tempore vni magis, quem ex virtute & iustitia æstimabant ceteris præcellere, quam vel pluribus ac prę-cipuis populi, vel multitudini, rerum summam commendandã esse cẽsuerunt, prout & singularis aliquis, qui solus rerum potitur, facilius aut promtius incommodis &

pericu-

periculis mederi potest, quam multi simul, gradu & dignitate pares. Neque vero eff. enatam siue absolutam in Reges suos trãstulerunt potestatem, sed certis legibus & conditionibus optime limitatam & circumscriptam, ne tyrannidi locus daretur, vt in progressu ostendemus. Ceterum quemadmodum in humanis actionibus nihil stabile est & perpetuum, sed cuncta vel temporis lapsu collabascunt, vel sæculorum prauitate immutantur; sic in Gallia quoque licet idem semper status, monarchicus scilicet Regalis, fuerit, non omni tamen tempore eadem gubernandæ Reipublicæ ratio fuit: quam omnem ab initio constituti Regni breuiter ac dilucide exponemus.

Status Galliæ, priusquam à Romanis illa in prouinciam esset redacta, is fuit, vt neq; vniuersa vnius imperio regeretur, neque singulæ ciuitates vel in populi vel in Optimatium potestate essent; sed ita diuisa fuit, vt pleræque Optimatum consilio regerentur (quæ Liberæ dicebantur) ceteræ Reges haberent. Omnes quidem id institutum tenebant, vt certo anni tempore publicum gentis concilium agerent, in quo quæ ad summam Reipublicæ pertinere videbantur, constituerent. Ciuitates autem LXIV. Tacitus libro III. numerat, hoc est, vt ex Cæsare intelligitur, regiones quæ non modo lingua, moribus & institutis, verum etiam *Status Galliæ vetustus.*

iam ijsdem Magistratibus vtebantur, qualis ipse multis locis Heduorum, Auernorum, Rhemorum, &c. ciuitates præcipue commemorat.

Reges vero vel Regulos potius Galli tum eos appellabãt, qui non ad tẽpus, vt ciuitatũ Magistratus, sed in perpetuũ, regium imperium, quantũuis exiguis finibus, obtinebãt: quos immutata temporũ consuetudo, Duces Marchiones, Comites, nominauit.

Reges Gallorum. Erant hi Reges non hereditarij, sed à populo propter iustitiæ opinionem eligebantur; neque habebant infinitum, solutum & effrenatum imperium, sed certis legibus ita circumscriptum, vt nõ minus ipsi in populi, quam populus in ipsorum potestate essent: vt fere regna illa nihil nisi Magistratus perpetui viderentur. Nam multos nominat Cæsar priuatos, quorum tamẽ parentes ac maiores Regnum obtinuerant. Optimatum ergo & delectorum auctoritate, quibus eam potestatem populus permiserat, tamquam fræno coercebantur: quæ optima Reipublicæ forma, teste Platone, Aristotele, Polybio & Cicerone, fuit.

Porro Gallia à Romanis in prouinciæ formam redacta, eodem modo Reges ipsorum ex virtute & Nobilitate (ad Germanorum exemplum, vt apud Tacitum videre est) totius populi iudicio ac suffragijs electi ac constituti sunt: quorum tres tantũ

in ho-

in hodiernum vſq; diem, annis fere M C C. quibus regnum illud durauit, familiæ recenſentur.

I. Merouingiorum, qui orti à Meroueo, ſtirpem ad annos CCLXXXIII. propagarunt. *Regiæ apud Gallos ſtirpes.*

II. Carolouingiorum, qui orti à Carolo Magno, ſubolē ad annos CCCXXXVII. produxerunt.

III. Capeuingiorum, qui ab Hugone Capeto prognati, annis fere DXC. regnum obtinent.

Nam licet deferendi Regni iudiciū arbitriumq; penes Ordinū comitia publicumque totius gentis Concilium ſemper fuerit; filijs tamen & ijs qui ex Regis demortui ſtirpe eſſent, propter nobilitatem, more Germanorum, & innatam quodammodo virtutem, prærogatiuam illam fere reliquerunt, vt eos quaſi hereditatis quodam iure alijs pari virtute præferrent, ita tamen, vt ſi Regis defuncti filij annis XXIX. minores eſſent, eos creari ius non eſſet, adeo vt aliū ætatis legitimæ creari neceſſe eſſet: cuius exemplū exſtat anno Chriſti CCC IX. in Elogio Rege. Sed & ſubinde hoc ipſum Regnum quod Francogalliæ dicitur, inter plures Regum demortuorum filios, ex procerum Regni voluntate & arbitrio diuiſum fuiſſe, plurima exſtant exempla. Si vero populus filio repudiato alium eli-

geret, relinquebantur filio repudiato ad tuendam suam dignitatem res quæ propriè Regis & ipsius patrimoniales fuerunt. Cetera quæ Regni & Reipublicæ erant, & Reipublicæ dicuntur, ei ad quem regnum deferebatur attribuebantur, sicut, & eæ res, quæ Fisci dicuntur, quæ scilicet ad tuendã dignitatem suam partim ad vsus Reipublicæ repentinos attributæ sunt, vt erant Ducatus & Comitatus varij, qui etiam in populi comitijs illis assignabantur. Secundo & illud semper obseruatum fuit, vt filiæ à regni successione excluderentur (non quidem lege Salica, vt quidam male existimãt. nam ea de priuato tantum patrimonio, nec de feudis quidem sed de allodijs, auctore Salagasto, vno ex Regni proceribus, vnde Salica ab eius nomine dicta est, constituta fuit) & ijs neglectis, fratribus vel patruis, aut etiam extraneis per Proceres regnum semper delatum sit. atque hæc de Regibus, primo Reipublicæ capite. Antequam autem reliqua de Regis electione, eiusque & Reipublicæ concilio, rationeque administrandi regni aliquid dicam: operæ precium facturum me arbitror si prius membra illa regni quæ Regem constituendi & abdicandi potestatem habere diximus, paucis descripsero, quo magis dulcis bella harmonia qua Regnum hoc à maioribus constitutum & temperatum est, elucescat.

Illud

Illud in primis magni est momenti, Regiam potestatem ac reliquos omnes regni ordines adeo commodis & æquis rationibus inter se deuinctos esse ac velut coagmētatos, vt vix vllum possit inter ipsos magnum dissidium oriri. Sunt autem ordines in Gallijs tres præcipui, penes quos legitimum gentis concilium regnumque adimendi ac constituendi facultas omnibus temporibus fuit, Nobilitas scilicet, Populus, Vulgus. Hi singuli pro sua quisque cōditiones suas habent leges ac Instituta, quibus vtuntur, & adeo commode sunt inuicem aggregati, vt ægre facultatem habeant alij alios opprimendi, aut etiam aduersus Reges cōiurandi. De Ecclesiasticorū ordine, qui quartus censeri potest, (quamquam hodie, quum in tantā excreuerit potentiā, primum obtineat) deinde dicturi sumus.

Nobilitas igitur Galliæ siue Equestris ordo maximis fruitur commoditatibus ac priuilegijs, eoque fit vt magno quodam affectu Regem complectantur, & vitam quoque pro ipsius ac patriæ salute profundant. Neque enim vllum pendunt tributum, & armatis licet ipsis esse quocumque loco, & multa habent vitæ præsidia, sic vt non sit opus illiberalem aut quæstuariam aliquam artem exercere, Hoc enim nostris moribus, minime illis conceditur, nisi forte domi maneant, ac rei familiari studeant. Nobilitas apud Gallos

Sed si Regem sectari velint, habent quo se honeste alant. Plurima enim sunt domus & aulæ Regiæ ministeria, quæ solis Nobilibus attribuuntur, qui singuli partem aliquam anni in ijs procurandis consumunt, & reliquum tempus vacuum habent ac liberum rebus priuatis atq; domesticis administrandis. Hi omnes annuum à Rege accipiunt stipendium, & ampliora sperandi magnas habent occasiones. Principes autem viri & maioris dignitatis Proceres, quoniam & ipsi Regis beneficentiam experiũtur, ac partem Reipublicæ procurant, Nobilibus qui sunt re familiari minus lauita, victum & alia sæpe communicant. Deinde Reges perpetuũm alunt & numerosum equitatum, exercendæ & alendæ Nobilitatis caussa, ac in tanto equitatus numero plurimæ sunt præfecturæ quæ in illos distribuuntur, eaq; ratio non minus pacis quam belli tempore durat. Maioris quidem loci Nobiles pro sua quisque conditione ac virtute præficiuntur equitibus, ex reliquis autem alij sunt legati, alij signiferi, alij cataphracti; & qui per ætatem arma ferre non possunt, reliquis famulantur, & quum nullum est bellum, licet ipsis manere domi, eiusque stipẽdij partẽ aliquã parcimonia cõseruare. Ad hæc vix credibile est quam multæ sint per Galliã præfecturæ, vt sic dicã, vrbanę, quæ soli Nobilitati cõmittuntur. nã alij prouincijs, alij finibus, alij castellis & arcibus, alij

vicis præficiuntur. vt interim nihil dicã de maioribus illis muneribus quæ Principib⁹ tantũ tribui folẽt, cuiusmodi sunt qui ipsorũ lingua Connestabuli, Marescalli, Ammiralij, & id genus alij dicuntur, Sed & annua pecuniam, velut honorariũ quoddã Reges liberalitate quadã elargiri solent in multos nobiles qui nulli sunt addicti ministerio. Hi appellantur ipsorũ lingua Pensionarij. Satis igitur ex ijs quæ diximus apparet, ordinẽ Equestrẽ valde honeste & liberaliter in Gallijs haberi; & recte quidẽ. nã & patriã ab hostibus defendunt, & natura fere ceteris antecellũt & nõ solũ ipsis, verũ etiã maiorũ ipsorũ meritis atq; virtuti illud tribuitur.

Alter etiã ordo suas habet commoditates nõ exiguas. Ad hũc pertinent mercatores, qui eo maiorẽ quęstũ faciũt, quod tuto ipsis per omnẽ Galliã proficisci ac negociari licet, tum quod Nobiles ab omni mercatura abstinẽt, & splendide fere ac sumtuose vestiũtur. Huic etiã ordini conueniunt ac tribuuntur quæsturæ & rationes numariæ, itẽ præturæ, & quidquid ad iurisdictionẽ pertinet: qua sane in re plurimũ est honoris & emolumenti Sunt enim in hoc regno Iuris administri, Iudices, Aduocati, caussarũ Procuratores, Scribę & id genus alij, multo plures, mea quidẽ sentẽtia, quã in reliquis omnib⁹ orbis Christiani prouincijs: quod peropportune illis accidit, qui relicta mercatura, his rebus operam nauare volunt. Et

Et adeo quidem fructuosus & diues est hic ordo, vt Nobiles etiam inuideant: quamquam certe dignitate & splendore reliquis omnibus pręstent. Et qui sunt alterius ordinis, vt plurimum ad hunc aspirant, vt postea dicemus.

Tertius ordo Plebis siue Vulgi.

In tertio genere est Vulgus & promiscua hominum multitudo, qui & agros colunt, & omnis generis artificia tractant. Vt autē hi vel nimia vtantur libertate, vel admodū sint diuites, vel in armis etiam exercitati, non est cōsultum. Nam quia conditionem seruitutis oderunt omnes, & natura suas fortunas amplificare student, facile fit, vt arma capiant, & potentiores opprimant: quod & in Gallijs & alijs in locis non semel accidisse constat. Vt autem eiusmodi sint ordines ac veluti gradus in omni Republica, necesse est: quemadmodum in corpore humano videmus infirmiora & ignobiliora membra ministrare dignioribus. Neque tamen est quod hi statum suum cauillentur aut deplorent & indigne ferant; quoniam & ius ipsis communicatur æquabiliter, & quam à maioribus acceperunt, ea vtuntur libertate, & multis etiam Reipublicæ ministeris adhibentur, & sola virtute, industria & assiduitate possunt emergere, & ad secūdum ordinem peruenire quod secundo nō licet, vt scilicet ad primum euadat, nisi Regis singulari beneficio, quod ille solet ijs imper-

impertiri qui aut iam fecerunt, aut pro Republica præclarum aliquid & egregium facere possunt. Et prudenter quidem istud institutum est, primum vt ordo conseruetur Equestris, qui per bella fere minuitur, & sumtus vix tolerare potest. Deinde vt homines tantis excitati præmijs, virtute contendant, & ad supremum gradum eluctentur. Hac etiam spe confisi qui sunt plebeij & infimi ordinis adspirant ad secundũ, & quum in eo versati fuerint aliquamdiu, ad primum. Itaque fit vt minus sit inter ipsos inuidiæ & maleuolentiæ, quando vidẽt meritis ac virtuti patefactã esse ad amplissimos honores viam, & propositum esse periculum, si malis rationibus eosdem studeant obtinere. Quod si vel conatus nimiũ difficilis, vel nulla spes esset ampliora consequendi, qui sunt mediocris & infimi gradus, magni præsertim animi, caussam reperirent & occasionem excitandi motus, & sui ordinis homines, contra potentiores armãdi: nunc autem minime difficilis est ratio: & videmus quam multi ex humili sæpe loco ad summum fastigium euadant. Hanc quoque rationem diligenter olim seruabant Romani. nam à populari statim gradum faciebant ad ordinem Equestrem, & hinc deinde ad Patritiam & Senatoriam dignitatem patebat aditus.

Est præterea ordo Ecclesiasticus nulli

non

Ordo Ecclesiasticus. non communis, qui modo animũ huc adijciat: & pro Galliæ consuetudine nõ raro accidit, vt etiã plebeij homines, virtute ac eruditione præstantes, amplissimas in eo genere honores consequantur, Cardinalatũ aliquando, vel etiam Pontificatũ. Quæ sane ad virtutem & litterarum studia mirificam homines inflammandi vim habet.

Cohærentia Ordinum Regni. Ex iam dictis liquet quã apte & venuste inter se cohęreãt omnes regni ordines, è quibus si quis aliquid delinquat, facilis est medicina nam si Nobiles ceteris iniuriã faciãt, coercentur ab ijs qui ius reddunt, quorum tanta est auctoritas, vt quantumuis magni Principes eorum cogantur parere decretis. Quod si populus etiam siue vulgus aliquid moliatur, vt nonnunquam accidit, non est difficile Nobilitati propter potentiam & vsum armorum illos ad officium reducere; eoq; fit vt suarum rerum finibus ac veluti cancellis sese contineant omnes, ac pacem alij cum alijs colant, quando neque caussam habent neque facultatem etiam aliquid conandi, & periculum in eo summum esse vident. Itaque Regem tanti beneficij auctorem amplectuntur & amant omnes ac quũ tempus incidit, libentissime imperata faciunt, & publicis necessitatibus magno studio subueniunt. Quod si priuatim aliqui ab officio discedant, parata sunt reme-

remedia, si vt malum non possit longius serpere. Et hæc quidem de Ordinum in hoc regno statu satis.

Ex quibus constat, quam concinne Monarchia hæc iuxta iustitiam distributiuam sit temperata, atque administrata & Aristrocratice, hoc est, Optimatum imperio, & Democratice, hoc est, totius populi interuentu: quippe quum ad omnes honores omnibus pateat aditus. Quæ quidem est illa Reipublicæ forma, quam tantopere propter dulcem harmoniam omniumque Reipublicæ generum temperationem, omnes Philosophi commendarunt, & vbi vetus illa Lex aurea locum habet: *Salus populi suprema Lex esto.*

Verum vt redeamus vnde digressi sumus, ex tribus hisce Regni Ordinibus seu Statibus solet quotannis ad Calendas Maij publicum ac solemne Concilium seu Parlamentum vulgo haberi, atque adeo quoties maior aliqua res inciderit, cui Rex in aureo tribunali sedens, præerat; & hinc primum Principes Regnique Magistratus, tũ inferiori loco legati ex singulis ciuitatibus subsidebant, quos vulgo Deputatos appellant. Carpento autem Rex in atriũ vehebatur, bubus tracto, quos auriga stimulo agebat. Vbi in atrium vel potius in *Concilium publicum.*

Rei-

Reipublicæ ſacrarium ventum erat, tum Principes Regẽ in aureo ſolio collocabãt, reliqui vero, vti diximus, ſuo quiſque loco atque ordine ſubſidebant, eoque demum in ſtatu atque Sacrario Regia Maieſtas dicebatur.

Auctoritas concilij Statuum. Auctoritas vero hius Concilij omni tẽpore ſumma fuit, & hæc potiſſimum in eo agi ſolebant. Primum de creando vel abdicando Rege: tum de Pace & Bello, de Legibus publicis, de ſummis honoribus, præfecturis & procurationibus Reipublicæ, de aſſignanda patrimonij parte liberis defuncti Regis, vel dote filiabus conſtituenda, quam Germanico verbo Abannagium, quaſi excluſoriam partem appellant: denique de ijs rebus omnibus quę vulgus etiam nunc Negocia Statuum populari verbo nominat, quoniam de nulla, vt diximus, Reibublicæ parte, niſi in Statuum ſiue Ordinum Concilio agi ius eſſet. Itẽ ſi quis Princeps aut illuſtriore loco natus, criminis alicuius inſimularetur, in iudicium ad illud Concilium vocabatur, ibique cauſſam dicere cogebatur. Quinetiam ſi quando Rex maiores ſumtus facere inſtituiſſet, veluti in templis ædificandis, & monaſterijs fundandis, Rex Ordinum conſilium & ſententiam exquirebat. Poſtremo nec illud quidem prætermittendum eſt, tantam huius Concilij apud ceteras gentes auctoritatẽ fuiſſe

vt

vt etiam Principes exteri, si quid cótrouersiæ haberent, id interdum huius Concilij arbitrio ac iudicio permitterent.

Placita sine decreta.

Atque hoc Concilium historici alias Curiam, aliàs Conuentum, alias Parlamentum, alias Placitum appellare solent; quod re in multorum consilio quæsita & deliberata, tandem inter ipsos placuisset & conuenisset. Vnde & Placita Philosophorũ apud Ciceronem & alios dicta sunt. Atque hinc etiã promanasse videtur hodiernum illud in mandatis ac litteris Regis: *Quoniam ita nobis placitum est*, quod male nunc à Scribis Gallicis traductum est; *Car tel est nostre plaisir*.

Magistri Palatij.

Eligi etiam solebant in eodem hoc Ordinum conuentu seu concilio præfecti Reipublicæ, qui Merouingijs temporibus Maiores domus, hoc est, Magistri Palatij dicebantur. Horum eadem apud Reges potestas fuit, quæ quondam apud Imperatores Romanos erat Præfectorum prætorio, qui etiam Aulæ præfecti dicebantur. Qui quũ Regiam potestatem desidia Regum aliquãdiu obsedissent, eamdem facultatem nacti, eam pro sua occuparunt & vsurparunt. Nã quum omnia fere Reipublicæ munera obirent, & si quod gerendum esset bellum, exercitibus præessent, Reges domi nudo atq; inani nomine contenti, in ocio viuebant: vnde eò progressa res est; vt Childerico

Rege XVIII. regnum obtinente, Pipinus Magister Palatij, qui Regis nomine magna diuturnaq; bella gesserat, Saxones deuicerat, suamque in potestatem redegerat, oblatam Regij nominis occupandi facultatem non repudiarit, exercitu præsertim eoque victore & glorioso instructus. Tanta autẽ Præfectorum potẽtia initium (vt diximus) cepit tempore Clotharij II. circiter annum Christi MLXXXVIII. id est circiter annum 130. post regnũ Frãcogalliæ cõstitutũ.

Porro hic Pipinus in regnum, deposito Childerico, sublimatus est: de quo hæc in Appendice Hnnibaldi apud Trithemium, præter Marsilium Patauinum de trãslatione Imperij capite VI. Eodem anno, inquit Tritemius, Proceres totius Regni cõuenientes in vnum, super abrogatione Regis Childerici inutilis, cœperunt habere Conciliũ. Placuit autẽ in cõmune omnibus, vt Regem childericum nullã regnandi vel peritiã vel potestatem habentem deponerent, & Pipinum, penes quem totius regni summa manebat auctoritas, in Regem sublimarent. Sed Pipinus in hanc rem consentire noluit, nisi prius consilium Pontificis Zachariæ inquiratur, caussas allegans se mouentes.

Comes stabuli, & quatuor Marescalli Franciæ. In Magistri huius Palatij locum successisse videntur comites stabuli, vulgo connestablij. comites vulgo dicebantur omnes, qui amplissimos quosq; honores in Regia obtine-

tinebant, & Rempublicam pro parte administrabant. Erat autẽ comes ſtabuli fere is qui apud Romanos Magiſter Equitum dicebatur, id eſt, qui equitatui preerat, cui cuſtodes equorum ſuberant, qui vulgo Scarieri appellantur. Mareſchalcus Germanis vocatur. hodie eamdem obtinet dignitatem quam olim Præfecti prætorio, ſeu, vt diximus Magiſtri Palatij, & ſub eo ſunt quatuor Mareſchalci, id eſt, Equitum Magiſtri, ad quos pertinet litium militarium & eiuſmodi rerum dijudicatio.

Poſt hæc erecti ſunt tempore Hugonis capeti (licet nõ ſatis inter ſcriptores de hac origine conueniat) illi quos Pares Franciæ vocant. Ille enim amoto legitimo herede quum Regnum occupaſſet, Proceres aliquot nouo beneficio & honore ſibi deuinciẽdos putauit. nam eiuſmodi aliquid ab eo factũ eſſe, omnes cõſentiunt. Horum Parium cõſtituendorum duplex cauſſa fuiſſe videtur; Primum vt Regum Inaugurationi, & vt tũ loquebantur, Inueſtituræ præeſſent, hoc eſt vt Regem Imperij ſui inſignibus atque infulis ſolemniter in Principũ atq; Optimatũ conuentu exornarent. Deinde vt ſi quis è Potentiorum aut Principum Franciæ numero, criminis alicuius capitalis reus fieret, iudiciũ illud exercerent. nam quũ antiquitus iudicia illa in publico gentis concilio exercerentur, vt ſupradictum eſt, atque is Pares Franciæ.

mos maiorum paullatim Capeuingiorum instituto ad Iuridiciale Parlamétum transferri cœpisset, neque Principes Regni facile illi Parlamento fortunas suas committédas putarent: Regibus ad suas rationes id commodissimum visum est, præter illius Parlamenti curiam, hunc Pariũ consessum instituere, quæ Parium Curia vocata est: quorum tamen numerus atque ordo aliquamdiu varius fuit. neq; enim duodecim viri semper fuerunt, vt nonnulli existimãt, sed interdum plures, interdum pauciores erant, prout Regi, à quo summi honoris ac beneficij loco dignitas hęc conferebatur, commodum visum fuit (idq; varijs exemplis probari posset) sicut & Parium hęc dignitas sæpe varijs Principibus attributa est: & ad illorum iudicia nonnulli insuper alij è Franciæ Proceribus, Satrapis & Episcopis adhiberi sunt soliti. Postremo in illorum numero etiam exteri Reges ac Principes fuerunt.

Publici Cõcilij auctoritas. Porro, etsi hac Parium institutione, & quod Hugo ille Capetus ad conciliandos sibi retinendosque, vt diximus, Procerum animos, dignitates quæ temporariæ erant, puta Regni Ducatus & Comitatus, perpetuas fecit, haud parum publici, de quo supra, Concilij auctoritatem, licet cum eiusdem Concilij assensu, astute imminuerit; cetera tamen cuncta adhuc ab eodm, pro more,

more, pendebant Concilio, adeo vt etiam Budæus & Carolus Molineus tradant, rei numariæ ius, hoc est, potestatem numorum vel augendi vel minuendi precij, semper penes Francorum populum fuisse. Memorabile est illud bellum quod propter publicum Bonum Proceres Regni, assiduis plebis querimonijs & expostulationibus incitati, aduersus Ludouicum XI. Regem decreuerunt. Quin nec illud omittendum, sub eodem Ludouico Concilium publicũ apud Turones ad Calend. Aprilis anno MCDLXVII. coactum fuisse, in quo placuit vt certi probatique viri XXXVI. scilicet, Curatores Reipublicæ ex singulis ordinibus deligerentur, qui Rempublicam ordinarent, & iuri ac iustitiæ prouiderent, duodecim scilicet ex Clero (qui vnum ordinẽ iam obtinebat) totidem è Nobilitate, & totidem iuris ac iustitiæ periti ex populo: fidemque Rex tum Regali verbo promissoque dedit, ratum se habiturum quidquid illi XXXVI. viri constituerent.

Atque hæc quidem in genere ad Capeuingiorum vsque tempora totius Reipublicæ gubernandæ Regniue administrandi fuit vsurpata ratio nosque ea hactenus recensuimus Officiariorum Regni munera, quibus qui præsunt seu funguntur, propriè Regni seu Coronæ administratores, officiales vel Sapientes dicuntur, quales

sunt imprimis illi quos publicum Concilium constituere diximus. Item Pares Franciæ, deinde Connestabilis, Admiralius, Cancellarius, Quæstor generalis Franciæ, &c. Alij etiam omni tempore fuerunt Consiliarij & Officiarij Regi, qui priuata Regum negocia curabant, eisque famulabantur aut administrabant, quales sunt Camerarij, & alij ministri & Officiales Aulæ Regiæ.

Curiæ seu Parlamenta Galliæ.

Præter hæc publica munera, instituta sunt successu temporis, alia atque alia Parlamenta Iuridica qua de re sciendũ, ad hæc fere Capeuingiorum tempora, & simplicẽ minimeque intricatam iuris reddendi rationem, rarasque omnino lites fuisse. quod vel hinc licet cognoscere, quod Rex Ludouicus cognomento Diues, qui regnauit circirciter annum MCCXXX. (vt ex Ionuillio, qui eius vitam descripsit, constat) ipse vel controuersias disceptabat, vel disceptandi negocium nonnullis è suo comitatu demandabat. Quod idem de Carolo Magno proditum, qui vel dum calciaretur, lites dirimebat. Huius lex talis in Capitulari exstat: Hoc missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quod nos in omni septimana vnum diem ad caussas audiẽdas sedere volumus. Crescente deinde, prauitate temporis, litium multitudine, primum Basilica magnifica Regis Ludouici Huttini, vel, vt alij volũt, Philippi Pulchri Imperio, circi-

circiter annum MCCXCII. ædificata est. Tum ex mediocri Iudicum numero tres Decuriæ factę Magnæ Cameræ scilicet, Inquisitionũ & Postulatorũ. Sed anno MDXXII. Rex Franciscus quartã deinde Cameram, in qua XX. noui Consiliarij, adiecit. Rursus idẽ Rex anno MDXLIII. alios viginti creauit. Sed hic Iudicum cõuentus nõ fuit perpetuus & perennis, vt hodie, sed indictiuus, nec nisi certo Principis mandato exerceri solitus. Ad diẽ idem S. Martini, id est, II. Idus Nouemb. à Rege edictum proponebatur, quo Parlamentum incohandi Iudicibus à Rege datur auctoritas.

Verum paullatim in tantum huius concessus siue Parlamenti auctoritas excreuit vt nulla Regia lex, nulla cõstitutio rata esset, nisi cuius illi Consiliarij auctores aut approbatores fuissent; deinde vt nullus tota Gallia magistratus, non modo vrbanus, verum & militaris esset, quem non ab illo Consessu inaugurari, & apud eundem in leges iurare oporteret: tum vt ab eorum sententijs appellandi ius non esset, sed vt eorũ decreta rata ac fixa essent: postremo quidquid potestatis, imperij, auctoritatis, penes publicũ Concilium & Statuum Parlamentum (cuius scilicet illi iam & nomen & auctoritatem obtinent) fuisse diximus, id totum in Snnatum illũ translatum fuerit. *Parlamentũ, Parisiense.*

At hodie, quando solus Rex pro suo iu-

dicio cum Secreto ac Priuato suo Consilio quiduis decernit, prorsus in ordinarium Iuridicum consilium conuersum est, non amplius circa Rempubl. regnique negocia occupatur, fixamque suam sedem in Parisiorum habet vrbe. Quod quidem latissime patet, & amplissimam præ ceteris Ordinarijs Curijs seu Parlamentis (quæ septem omnino in Gallia nunc sunt) iurisdictioné habet. Cognoscunt autem singula de caussis & criminalibus omnibus, & quod à singulis definitum fuerit, ei standum est. Illud Parisiense præ ceteris habet, quod in eum consessum quandoque ipsi Reges venire solebant, quoties magnam aliquam rem tractandam haberent, quæ vel bellum vel pacem concerneret. Hodie adhuc pactiones Regum, & quidquid omnino ad Regni constitutionem pertinet, in eo recitatur, & scriptis publicis, quorum ipsi custodiam habent, inseritur.

Sic quæ ab omni antiquitate & primordio Regni Francogalliæ ad publicos Ordinum conuentus referebantur, & postea ijs abolitis, ad Senatum seu Parlamentum Parisiense, ea hodie ad solum Regem, & quos ille in consilium adhibere vult, translata sunt.

Magnum Consilium. Est & aliud in hoc Regno institutum Consilium, quod Magnum vocant, ex veris Principibus ac præcipuis Aulæ & Regni con-

constans, quod tempore Caroli Septimi & Octaui non nisi circa negocia Status Regni ac ipsius Reipublicę incolumitatem occupari solebat. Sed & hoc ipsum adeo multitudine caussarum ac litium, temporis successu, obrutum fuit, vt Carolus Octauus ordinarium ex eo Consilium XVII. Consiliariorum fecerit: quos deinde Ludouicus XII. ad viginti adauxit, addito Cancellario Concilij pręside, adeo vt sub rege Francisco & ipsa Cancellarij dignitas in Præsidatum, vt sic dicam, erecta fuerit, atq; deinde illi solum vacarent cognitioni caussarum extraordinariarum, à priuato Consilio ijs commissarum, & fere ordinarie appellationibus Præfecti hospitalis, vt vocant.

Consilium priuatum vel Secretum.

Præter ordinaria iam dictà septem Iuridica Parlamenta, vt vulgato vtamur verbo, & Magnum Consilium, habet Rex priuatum adhuc Consilium, quod perpetuum & ordinarium est, Regemque fere comitatur, & circa negocia Regni præcipua, occupari solet: quamquam & id hodie in Ordinarium quasi Consilium conuersum sit, quando scilicet caussis ciuitatum & Parlamentorum fere vacat, & plerumque etiam aliorum priuatorum non ita magni momenti caussis, adeo vt hi viri spectabiles & Illustres alijs rebus occupati, negociorum publicorum, & statum Regni concernen-

tium, cognitionem & curam propemodũ omnem amiſerint, totaque Regni admi-niſtratio & cura Regis arbitrio & paucorum delectorum iudicio commiſſa eſſe hodie videatur, quod Secretum Conſilium nuncupatur, in quo cunctæ proponuntur deliberationes ſummam rerum concernentes, & ſuper quibus deliberatum à Priuato & Finantiarum Conſilio fuit, ſi eiuſmodi modo negocia fuerint quæ Regis peculiarem cognitionem requirant. In hoc cuncta beneficiæ, litteræ & mandata Regia ſignantur, aliorum Principum, Legatorum, Præſuidum, & Capitaneorum litteræ reſerantur, Reſponſa concipiuntur, & Statuum Secretarijs committuntur.

(.·.)

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XLVIII.

Quod est

POLITIAE IN BELGIO SVB BVRgundica siue Austriaca familia,

DESCRIPTIO.

Gallia omnis, vt Cæsar habet, diuisa est in Belgicam, Celticam & Aquitanicam. Belgicæ semissem fere Austriaca possidet familia; alteram, Picardiam scilicet, Campaniam, Normaniam (quamquam hæ duæ postremæ non totæ sub Belgio continentur) Galliæ rex, Dux Lotharingiæ, Iuliæ, Cliuiæ, Archiepiscopi Moguntinus Treuirensis, Coloniensis, & Leodiensis Episcopus possident. Produxit hæc Belgica, teste eodem Cæsare, illustriores semper ac fortiores milites quam reliqua Gallia, ita vt non modo illius tempore, verum etiam nostro sæculo omnem belli molem sustinuerit. *Gallia diuisio.*

Con-

Continet autem hoc nostrum Belgium circiter trecentas,& viginti munitas vrbes, & circiter ducenta & triginta oppida priuilegiata,pagorum vero plus minus, duodecim millia.

Gallia Belgica.

Et quamquam tota hæc Belgica propter diuersas Imperiales & Regales dignitates, Electoratus, Archiepiscopatus, Episcopatus, tum coronationem tam Imperatoriæ Maiestatis,quæ Aquisgrani fit, quam Regni Francici apud Suessones,celeberrima sit; illa tamen pars quæ Regi Catholico semper paruit,longe nobilissima est, tum propter frequentes in ea & opulentissimas vrbes,infinita oppida,&innumerabiles pagos, adeoque inhabitatorum admirandam frequentiam, eorum diuitias, ciuilitatem ac animi fortitudinem. Quibus rebus etiam Carolum V. motum fuisse ferunt, vt non semel de regno ex his prouincijs constituẽdo,deliberarit: verum propter priuilegiorum,morum atque legum in singulis prouincijs diuersitatem, tum continuorum bellorum difficultates, quibus opprimebatur, ab instituto reuocatum fuisse.

Hodierna Belgij magnitudo.

Hæc pars ambitu suo vniuerso continet milliaria Flandrica trecenta & quadraginta circiter, quæ faciunt Italica fere mille. Continet vrbes clausas ducentas & octo,& circiter centum & quinquaginta oppida, vrbibus propter splendorem & priuilegia, haud

haud inferiora, pagos vero puls minus sexies mille & trecentos maiores, minorum autem infinitum fere numerum, sicut & diuersa Dominia, Comitatus ac Principatus, merum & mistum imperium habentes.

Eadem in hoc Belgio est administrandæ Reipublicæ ac iustitiæ ratio quæ in Regno Galliæ, eadem Magistratuum nomina, eademque auctoritas prouincijs omnibus. Vnus à rego Catholico semper est generalis cum summa auctoritate Præfectus, qui & Burgundiæ Comitatui præest. neque ob multitudinem regnorum ac prouinciarũ quas possidet Rex Catholicus, ipsus præsens, sicut Burgundiæ Duces solebant, Belgij imperium administrare potest. Quapropter tẽpore Maximiliani Cæsaris, eiusque filij Philippi, summæ rerum ibi præfuit Georgius Saxoniæ Dux. Caroli V. Imperatoris tempore primum Margareta Austriaca, Imperatoris matertera: qua defuncta, soror dictæ Cæsareæ Maiestatis Maria Vngariæ Regina, ab anno MDXXXI ad annum MDLV. quo Imperatoria Maiestas totum Belgium Philippo filio resignauit, qui successiue easdem prouincias demandauit suo nomine regendas Emanueli-Philiberto Sabaudiæ Duci cõsobrino (nam ex duabus sororibus Regis Lusitaniæ vterque natus erat) qui à Rege in Ducatũ Sabaudiæ restitutus, Præfecturæ renunciauit: itaque

Præfet sive Gubernator totius Belgij.

Itaque in eius locum ſurrogata eſt Regis ſo-ror, Margareta Parmæ ac Placentiæ Ducis vxor; cui præter alia conſueta, aſſignati fue-re in ſingulos annos XXXVI. corohatorũ millia. Porro hic præfectus licet ſummam adeoque pleniſſimam haberet per totum Belgium auctoritatem, cuncta tamen ma-iora munera atque officia, vt ſunt Præſida-tus, cancellariatus Statuum, itemque om-nes leges, decreta & negocia ſub Regis no-mine diſtribuũtur ac promulgantur. Scire autem hic oportet, antequam de ſingulis cõſilijs ſeorſim aliquid dicamus, olim duo illa conſilia Statuum & Priuatum vnum tantum apud Principem fuiſſe, quod Pri-uatũ nuncupabatur: verũ multiplicatis ne-gocijs, in duo diuerſa id partiri neceſſe fuit.

Conſilium Statuum. Conſilium Statuum vt vocant, quod apud Gubernatorẽ reſidet, incerto conſtat con-ſiliariorum numero. Pro arbitrio enim Principis & negociorum grauitate, plures vel pauciores adhibentur. Conſtat vero ex diuerſis Belgij prouinciarum Præfectis, nonnulliſq; iuriſperitis, qui propter doctri-nam, integritatem ac virtutes in hunc con-ſeſſum recipiuntur. Huic ordini vnus præ-eſt iudex ſeu Preſes concilij. Cum hoc con-cilio deliberat ſummus Belgij præſes ſuper rebus Principis, & publicis, puta de bello & pace, deque generali totius patriæ admini-ſtratione. Eodem in deliberationem defe-

runtur

runtur omnes quæ hinc inde emergunt difficultates & negocia: item Federa cum Principibus & vicinis: an dimittendi sint vel retinendi belli duces seu capitanei. Item de propugnaculis, munitionibus, prouisionibus siue apparatu armorum; de mittendis aut recipiendis legationibus; cunctaq; huc referuntur à reliquis cōsilijs grauiora negocia. deniq; vt summatim dicamus, quidquid conseruationem ac protectionem totius patriæ intus & foris concernit, in hoc consilio deliberatur. Solent & extraordinarijs magisque arduis negocijs adhiberi quoq; omnes Ordinis aurei Velleris collegæ, & ex alijs Gubernatoribus prouinciarū & Officiarijs Regijs nonnulli.

Consilium quod vocant Priuatum seu Secretum, similiter apud Gubernatorem residet. constat ordinarie X. vel XII. consiliarijs, ijsque Doctoribus aut Licentiatis, à Rege vel eius locum tenente electis. Hoc quum diuisum sit propter multitudinem negociorum à Consilio Statuum, de quo iā diximus, sibi reseruauit quidquid ad iustitiam, ius & politiā pertinet, vt & inspectionem aliorum consiliorum. Huius itaq; est concedere priuilegia, consensum, gratiam, veniam, immunitates, remissiones. Item condere leges, ordinationes, statuta, edicta: vnde & libellorum siue supplicationum Magistri vocantur. Huius item consilij est cognoscere de limitibus & confinibus *Consilium Priuatum seu Secretū.*

prouinciarum, deque partibus principalibus dominij, superioritatis & auctoritatis Principis, dominiorum & aliorum aulicorum immatriculatorum. Denique penes hoc Consilium est conseruatio atque administratio Iustitiæ, ceterarumque rerum omnium inspectio: quamquam subinde magis ardua Consilio Statuum communicet, ac vicissim hoc ea quæ politiam ac Iustitiam aliquo modo concernunt, ad illud referat, eiusque sententiam exquirat. Habet hoc Consilium suum quoque Præsidem.

Consilium Finantiarũ. In eadem Curia residet & aliud Consilium, quod vulgo Finantiarum appellatur. Huic communiter præfecti semper fuere tres è prudentioribus dominis præcipui, tamquam Capita, vnus Thesaurarius, vnus Receptor generalis, & tres Cõmissarij docti ac prudentes cum duobus Graphiarijs siue scribis, alijsque Officiarijs. Hoc Consiliũ curam habet bonorum patrimonialium & redituum Principis, subsidiorum ordinariorum & extraordinariorum, Cameræ rationalis, Receptorum, aliorumque Officiariorum Regias pecunias tractantium. In eodem fiunt taxationes, assignantur rationes soluendi quidquid pacem vel bellum concernit, itemque fortificationes, munitiones, prouisiones, adeoque omnes expensæ tam ordinariè quam extraordinariè, pro

riæ, pro conseruatione Status patriæ. Hoc item bona Principis elocat, facit moderationes ac restrictiones, eius ordinationibus contentas. Breuiter, omnem habet curam Principalis Thesauri vniuersi.

Est alius Bruxellæ magistratus Regius, qui est tamquam membrum consilij Finantiarum, appellaturque camera rationalis, cui præest vnus Præses, & septem Magistri rationum, quatuor scilicet ordinarij & tres extraordinarij, cum nõnullis alijs Officiarijs. Reddũt huic rationem administrationis pecuniarum regis omnes Thesaurarij & Receptores Brabantiæ, & adhærentis ditionis, item agri Lucemburgici; recipiuntque omnes hic suas acceptilationes siue quitantias. Præter hanc vero cameram sunt adhuc in Belgio tres aliæ cameræ rationales, in Flandria scilicet, Hollãdia & Geldria: quæ omnes summarie rationem reddere coguntur Finantiarum consilio, tamquam omnium inspectori. Atque hæc sunt consilia, vel Officiarij, qui perpetuo generalem Belgij Præfectum comitantur, vel apud eum resident. *Camera rationum.*

Est & aliud in hoc Belgio consilium in singulis fere prouincijs, quod Parlamentũ Regium vulgo nominant, quale est Machliniæ, in Brabantia vero cancellariam vocant. Præsunt huic vt plurimum, pro locorum diuersitate, vel XII. vel XV. vel *Consilia Prouincialia.*

XVIII. Consiliarij, Doctores & Licentiati, vnusq; Præses seu Cancellarius tamquā iudex. Adsistunt pariter Aduocatus & Procurator Fisci, Graphiarij, Secretarij, alijque Officiarij, omnes à Locum tenente Regio electi, & à Rege stipendiati. Hic Magistratus summam habet potestatem de cunctis tam ciuilibus quam criminalibus caussis, & omnibus in hisce prouincialibus regijsque dominijs controuersijs cognoscendi. Habet & actiuam & passiuam cognitionem fundamentorum, confinium, differentiarū, quæ è Prælaturis earumque iurisdictionibus exsistunt, exceptis bonis mortuis, vulgo *amortisez* dictis, quorum cognitio ad curiam Ecclesiasticam pertinet. Similiter obseruari curat priuilegia, exemtiones, officia, beneficia, prouisiones &c. à Principe concessa; saluis nihilominus semper iurisdictionibus & priuilegijs locorum particularibus. Huc vocantur in ius non solum omnes Regis officiarij & ministri prouinciales, sed & Rex ipse, pro quo respondent eius Procurator & Aduocatus, minimeque summa eius auctoritas aut dignitas cuiquam præiudicio est aut damno. Quinimmo accidit iam pridem in Geldria, regnante rege Philippo, vt quum Regia Maiestas in caussa quadam contra dominum de Anholt succubuisset, ac nemo Officiariorum sententiam exsequutioni mandare vellet aut auderet,

deret, Rex ipſe eam realiter & ipſo facto ſit exſequutus. Ad hoc tribunal cunctæ deferuntur Appellationes inferiorũ cuiuſque prouinciæ iudiciorum: neque hoc vllam econtra appellationem admittit, ſed duntaxat ſyndicatum, quem Reuiſionem vulgo appellant. Rarius vero fit, vt Reuiſionem petens, non maximarum expenſarum eo nomine faciendarum, & ipſius cauſſæ iacturam patiatur. Sed nec per Reuiſionem hanc prioris ſententiæ exequutio differtur. In omnibus his cuiuſque prouinciæ Curijs iudicatur ſecundum ius commune, ſaluis tamen legibus municipalibus, & ſingulorum locorum conſtitutionibus, quæ plurimæ ſunt, decretiſque Principum, vulgo Mandamentis, quæ quatenus priuilegijs fraudi non ſunt, ceteris omnibus præferuntur. Verumtamen antequam hæc publicãtur, in deliberationem & cognitionem dicti conſilij trahuntur, ſuntq; eatenus & habentur æqua & in iure fundata, quatenus cum ſcriptis legibus conueniunt.

Præter iam dicta deputat etiam Regis nomine Præſes certos ſingulis annis legatos per ſingulas fere prouincias, qui Reuiſorum funguntur officio, vt ſcilicet rationes redituum ſeu prouentuum aliaque patriam concernentia reuideant, animad- *Reuiſiones.*

Z 2 uer-

uertantque quid in quoque peccatum sit, & specialiter in Brabātia, vbi princeps singularem habet in loca sacra auctoritatem. Quapropter iisdem mandatur etiā, vt animaduertant in rationes Ecclesiarum, Monasteriorum & Xenodochiorum; & si indebite quid administratum deprehendatur, relatione ad curiam facta, seuere id corrigitur & reparatur, adeo vt licet singulæ prouinciæ & ciuitates suis legibus & priuilegijs viuant & gaudeant, summa tamen administrandæ Iustitiæ ratio à Rege emanet atque in eum redundet, cui etiam omnes Officiarij iuramento obstringuntur.

Militia Belgica. Tempore pacis, Rex siue princeps non nisi paucos habet in regni confinibus præsidiarios milites, ea autem loca sunt numero viginti sex, omnia quidem & singula maximi momenti propugnacula. Alia deinde equestris militia, ab omni antiquitate obseruata, à Carolo V. anno MDXLVII. prudenter restituta, & reparata est, quam ordinarias Bendas seu Turmas vulgo nominant. Sunt vero in his tria millia lectorū equitum, qui distributi in XXIV. Bendas, præcipuis prouinciarum dominis regendi committuntur: hique suos habent vicarios siue Locum tenentes, aliosque Officiarios. Vnus est generalis Quæstor militiæ, qui Regis nomine hisce turmis ordinarijs stipendium soluit. *Turmæ ordinariæ.*

Præ-

Præterea nullam fere habet Rex pacis tempore classem maritimam instructam; sed quia omnes portus nauibus varij generis & magnitudinis abundant, necessitatis tempore omnes eas naues, vel quot & quas ex ijs libet, eximi iubet, suisq; eas sumtibus ad bellum ornat, soluto nauium dominis quod æquum est. Atq; in hunc finem toti rei maritimæ præfecit vnum belli totiusq; classis summum ducem siue præfectum, quem Admiralium vulgo vocant. Hic omnis prædæ belli tempore, omnium confiscationum, omnis denique generalis mercaturæ, quæ cum licentia Principis ad prouincias ex hostili solo defertur, suam habet partem. Hanc vero Regis vel Principis Licentiam Admiralius sua manu approbare & confirmare debet, antequam indemnitatem promittere sibi mercatores queant. Est & alius maximæ quidem dignitatis Præfectus tormentorum bellicorum, & quidquid ad id genus armorum pertinet: quæ quidem Arma Machliniæ ordinariæ asseruari solent. *Res maritimæ.*

Venationes, aucupia & piscationes per hasce prouincias, pro diuersitate Iurisdictionum, sunt Principis, ciuitatũ, propriorumque dominiorum, excepta Brabantia, vbi quinque tantum syluæ Principi ab omni venatione & aucupio liberæ sunt; per reliquam vero totam prouinciam vnicuique *Dominia seu bona patrimonialia à Principis.*

cum canibus & auibus, non tamen retibus, libera est venatio & piscatio. Princeps in singulis fere prouincijs suos venationi Præfectos habet, & nominatim in Brabantia magnæ id dignitatis officium est, & qui ei præest, Magnus Venator Brabantiæ appellari solet.

Syluarum reditus.

Præcipuæ quæq; earum regionum syluę ad Regis vsum non modo venandi, sed & lignandi iure spectant, estque hæc non minima redituum ipsius pars. Reliqui reditus in ciuitatibus, villis, castellis, terris, molendinis alijsque, ab omni antiquitate Principibus patriæ attributis, consistunt, qui vulgo *Domaines*, Latine forsan Dominia, magis vero propriè *Bona patrimonij* siue *patrimonialia* dicuntur. Sed & vectigalia quædam mercium tam mari quam terra inter eos reditus communerantur. similiter Princeps reditus quosdam in præcipuis habet ciuitatibus, Antuerpiæ præsertim, vbi præter certam bonorum confiscatorũ partem, habet & monetæ, carcerum & piscationum locationem, aliaque nonnulla, quæ Principis ærarium siue dominium mire collocupletant.

Modus conuocandi Status.

Princeps petiturus quid, vel nouum tributum nouasque leges impositurus, conuocare solet, certo assignato die & loco, qui communiter Bruxellis esse solet, tum propter Regiã Curiã, tũ quod Brabantini extra ditionem suam nihil deliberent, omnes to-

tius Belgij Ordines siue Status, qui sic debito modo interpellati, haud grauate comparent, vel saltim secundũ sub mulcta aliqua pecuniaria appellati, legitimo numero, plures vel pauciores, prout citati sunt, pro causa necessitatis, conueniunt. Sunt autem qui communiter Bruxellis comparere solent, hi: Brabantini, Flandri, Artesij, Harnnonij, Valenceniani, Insulani siue Risselani, Duacenses, & Orchesij, Hollandi, Traiectenses, Selandi, Namurcenses, Tornacenses & Tornæsij, & Machlinienses. Reliquarum prouinciarum ordines, vt sunt Geldri, Frisij, Lucemburgij, quia remotiores sunt, à suis Gubernatoribus (nisi grauissima aliqua inciderit deliberatio, vbi omnium suffragijs opus est) domi conuocantur, ibidemq; res proponitur & decernitur.

Porro Ordinum generalium tres sunt status. Primus, Ecclesiasticus; secundus, Nobilitas; tertius, præcipuæ Ciuitates. Horum statuum membra personę ac deputati ij qui semper ad id electi fuerunt comparent, vel suos deputant legatos. Verum non omniũ regionum est in hac parte idem vsus & consuetudo. Exempli gratia, Brabantini, Hannonij, Artesij, Namurcenses & Selandi diuersis Cõmissarijs rem expediendã cõmittũt, puta, Ecclesiastici Abbatem; Nobilitas Ducem, Marchionem, Principẽ, Baronẽ & Nobiles; Ciuitates vero consules, vulgo *Ordines vel status generales.*

 Bur-

Burgomagiſtros, & duos vel tres Scabinos, vnumque ciuitatis Syndicum, quem Penſionarium appellant, plures vel pauciores, prout rei neceſſitas exegerit, delegant. Flandri per vnum ſolum Legatum, vel Commiſſarium vulgo, ratione quatuor Membrorum comparent, quæ quidem quatuor Membra ſupradictos Status omnes repræſentant: quamquam & hi ſeparatim ſuos delegare queant, qui inſpectionem in id quod à dicto Membrorum Legato fit aut conceditur, habeant, ne quid præiudicij inde ſibi exſiſtat. Verum communiter quod quatuor illa Membra ſtatuunt, id ratum firmumque habetur. Hollandi duorum tantum Statuum nomine, Nobilitatis ſcilicet & Ciuitatũ nomine Legatos deputant, ijque totam prouinciam repræſentant. Hoc modo coacto Concilio, in præſentia Regij Præfecti ſiue Locumtenentis, Præſes vel aliquis Statuum Conſiliarius, Principis ſeu Regis nomine petitionem eiuſdem in vniuerſo conſeſſu humaniſſime exponit. Illi poſt conſuetas deliberatioues, ſinguli pro ſe in ſcriptis reſpondent: quo quidem Reſponſo ſi Regi non ſit ſatisfactum, multis conatur ille rationibus Ordinis ad aſſentiendum petitioni permouere. nec enim illud tyrannicum hic vllo modo locum habet: *Sic volo, ſic iubeo*, quin etſi ad vnum pæne omnes Ordines regis petitioni aſſenſiſſent,
ſola

ſola tamen Antuerpia conſenſum hunc infringere & irritum facere poteſt; ſiquidem Ordines omnes ea lege & conditione conſentire cenſentur, ſi omnes ſtatus atque ſingula eorum membra aliquid comprobant, & in ſuam quodque ratam portionem conſentiant. Quocirca omnino neceſſe eſt, vt non modo omnes Ordines ſeu ſtatus generaliter conſentiant, ſed & omnium ſtatuum ſingula quoque membra ſuum præbeant aſſenſum. Vnde ſæpe fit, vt nulla habita regiarum demonſtrationum ratione, nihil pæne vmquam, propter ſuffragiorum diuerſitatem, Regi cõcedatur; quo quidem caſu Rex pro eo tẽpore patienter acquieſcit, & rem in commodius tempus differt. Attamen rarius eſt, vt moderatus Princeps à ſubditis placito & prudenti ingenio præditis, id quod petit nõ tandẽ conſequatur. Si quam Ordines pecuniam Principi ſiue Regi promiſerint, neque eam commode in numerato habere queant, aliam ineunt inter ſe, cum conſenſu tamen Principis, conquirendi rationem, decimam vel vectigal quoddam rebus communibus ad tempus imponendo, vel alio quodam modo, pro ratione loci temporis & occaſionis: quæ pecunia iuxta modum, taxam & proportionem conſuetam dependitur. Eccleſiaſtici ſuam portionem ſeparatim ſoluunt. Nobilitas & Ciuitates, propter neceſſitudi-

nem commerciorum & vtilitatis inter se, simul soluūt, Brabantini quidē, tamquā primi propter antiquitatē & dignitatē Ducalem, suam dependunt partem inflorenis vicenum stuferorum. Et sic reliquæ quoq; prouinciæ, iuxta consuetas taxas, quæ non facile mutantur.

Pontificum ius in Belgio. Quod ad Pontificum in has ditiones ius attinet, non maius illud est quam in regno Franciæ. Cunctæ enim nominatione & ordinationes Prælatorum, Episcoporum, &c. ad Principem pertinent; Pōtifex solam habet confirmationem & expeditionem, nec vllum cuiuscumque status laicum vel sæcularem propter quoduis delictum vel caussam, extra patriam euocare potest. Quare si quis de eiusmodi prætēdat, legatū certum de facto vel iure cogniturum, expediat necesse est. Nullum præterea conferre beneficium potest, nec gratiam vel bullam largiri quæ sortiatur effectum, nisi exsequendi potestas ex Principis Placito, vt vulgo nuncupant, petenti concedatur. Quantum ad decimas, eæ feræ per totam ditionem soluuntur, sed diuersis modis. alibi enim solis Ecclesiasticis, alibi vero partim his, partim loci dominis: alij vndecimā tantum partem dependunt, alij minus, secundum diuersarum prouinciarum & locorū consuetudines & priuilegia: exstatque Caroli V. Imperatoris decretum, ne liceret in po-

in posterum vllis Ecclesiasticis personis vel locis sacris vllam rem immobilem absque Principis licentia coemere aut habere.

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA XLIX.

Quod est

DE HELVETIORVM CONFEDERATIONIBUS, *earumque caussis & prima origine.*

RELATIO.

HEluetiorum regio, quæ Germaniæ hodie magna ex parte annumeratur, quasi dorso Mundi imposita videtur, vt quæ tota fere præ ceteris Europæ partibus, in altimos montes attollatur. Ab Oriẽte Rhætos siue Grisones, nec non Constantiense territorium & partem aliquam Sueuiæ, ac districtus Austriacæ familiæ parentes attingit: ab Occidente Valesiam & Burgundiæ Comitatum; à Meridie *Heluetiæ situs.*

Ducatum

Ducatum Mediolanensem qua Comum situm est: à Septemtrionibus vero Rhenum & Alsatiæ partem, quà Basilea conspicitur, (quæ ciuitas hodie XIII. pagis accensetur) pro finibus habet.

Rhætiæ situs & Valesiæ. Heluetijs confederati sunt tres Grisonũ pagi, qui olim alta Rhætia. Ea ab Oriente Comitatu Tirolensi includitur, ab Occidente Heluetiorum terram vicinam habet: à Meridie Insubriam siue Ducatũ Mediolanensem, ad Bergomum: à Septemtrionibus Austriacæ familiæ ad Alpes ditiones. His deinde Valesiani accesserunt, Seduni olim dicti, ad Rhodani ripam habitantes: quorum regio ab Ortu Heluetia; ab Occasu Sabaudia; à Meridie Lacu maiori & Pedemontio; à Septemtrionibus lacu Lemano terminatur.

Horum omnis Confederatorũ regio in tres veluti populos diuisa est, Heluetios scilicet, Rhætos siue Grisones, & Valesianos.

Heluetij (vt veterem diuisionem in Ergouiam, Turgouiam, &c. omittamus) in tredecim pagos sunt distributi; qui Cantones Italis, Germanis Orter, id est, loca dicũtur. Suntque hi: Tigurum, Berna, Lucerna, Vrij, Suitij, Vnderualdij, Solodorum, Schafhusa, Tugium, Clarona, Basilea, Friburgum, Abbatiscella.

Est vero omnis Heluetiorum regio, vt paullo

paullo ante dictum est, altissimis & præruptis montibus & saxis aspera, & multis lacubus & stagnis intersecta, è quibus incolæ maximas capiunt vtilitates Natura & situ vndique munitissima est, quum angusti admodum per claustra & inuias pæne vias pateat ad eam aditus, adeo vt vel lapidum iactu etiam magnum exercitum prohibere & profligare possint: id quod Leopoldo Austriæ Archiduci in Tigurinos mouenti, accidit, & alijs, vt infra attingemus. Vt iam nihil dicamus de comeatuum & annonæ, non ob viarum tantum angustias, sed ipsius quoque regionis sterilitatem, difficultatibus. Est enim is totius regionis situs, vt equitatus omnino ibi sit inutilis; & peditatus quoque exterus, ob locorum imperitiam & alias caussas, parum ibi semper profecerit. *Terræ qualitas.*

In hac regione capita & scaturigines sunt præcipuorum totius Europæ fluuiorum, vt Rheni, Addæ, Rhodani, Athesis, Oeni, Ticini, & aliorum.

DE HELVETIIS.

HEluetij, vt ex varijs historicorum monumétis apparet, iam ab antiquis temporibus rei militaris gloria floruerunt vt qui multas variarum nationum profligarint exercitus: vt Romanorũ annis centum *Heluetiorũ fortitudo & origo.*

tum circiter ante christum natum. interfe-
cto Lucio Cassio Consule; quum hominum multitudinem alere non posset, inito cum vicinis fœdere, ijdem de vniuersa Gallia subiuganda cogitarunt; iamque incensis quamplurimis pagis, quo spem reditus suis omnem adimerent, belli initium fecerant, sed à Iulio Cæsare exercitus tum in Gallijs habente, subito oppressi, temerarij cœpti pœnas dederunt. Heluetiam quoque ingens Cimbrorum, quos maris inundatio laribus exegerat, inundauit multitudo. Hi transitu per Germaniam facto, magnam Galliæ Belgicæ partẽ occuparunt: sed quũ neq; hæc tantæ multitudini alendæ sufficeret, ad Rhodanum concesserunt, & à Romanis sedem ibi flagitarũt; qua negata, pars eorum in Italiã irrupit, vbi multis vtrimq; datis & acceptis cladibus, à Romanis duce Mario, tandem ad internecionem sunt deleti. Reliqui qui cis Alpes manserant, eam Heluetiæ partem quam hodie Suitij & Vrij colunt, tenuisse à quibusdam putantur. Alij scribunt, tempore Sigeberti Suecorum Regis, tantam in Septemtrionalibus illis regnis incolarum fuisse multitudinem, vt nouas terras quærere coacti fuerint. Superato ergo Rheno eos Galliam occupasse: inde metu consternatos vicinos populos Legatos de pace ad eos misisse, quibus illi responderint, se nihil aliud petere quam tantum

tum

tum terræ, vbi ſine damno aliorum ex eius cultura vitam ſuſtentare queant. Ab Heluetijs ergo in patriæ interiora receptos, quę pars fere tota montibus & lacubus occupatur, ſed à nouis incolis magno labore & aſſidua cultura multo fertilior & populoſior etiã tandẽ facta eſt. Proditum quoque apud nonnullos hiſtoricos legitur, ad Oceanum tres olim populos habitaſſe, & Saxones nimirum, Anglos, & Vittos. Ex his Anglos cum Vittorum parte, in inſulam quæ hodie ab illis Anglia dicitur, nauigaſſe, & ſedem ibi fixiſſe. Reliquos Vittos in Heluetiam veniſſe, & non procul à Tigurino agro conſediſſe; vnde & hodie Suitij (vulgo Suizzeri) à Vittis appellentur. Porro magna Heluetiæ pars, labeſcẽte Romano Imperio, primo ſub Sueuiæ Ducum, ac deinde ſub aliorũ fuit dominatu, donec tandem incolæ paullatim in hanc qua iam fruuntur, libertatẽ ſe aſſeruerunt, vt breuiter dicemus, initio à primis huius libertatis auctoribus, Vriorum ſcilicet, Suitiorum & Vnderualdiorum pagis, facto.

(∴)

DE VRIORVM, SVITIORVM, & Vnderualdiorum pagis.

Vrij, & eorum origo.

INter Heluetiorum pagos Vrij non quidem viribus aut dignitate, sed fœderis antiquitate primi nominantur. Apud hos nullæ sunt muratæ ciuitates; sed regionis caput est Artolfum, locus apertus, à Lucerna quà in Italiam itur, vno milliari Italico distans, vbi asperrrimi sunt montes: eiusq; Iurisdictio vltra montem S. Gothardi extenditur. Volunt nonnulli hanc ciuitatem Iulij Cæsaris temporibus Taurim dictam fuisse, à Tauro, quẽ Germani Vri(Vhrochs) appellarint; indeque hodiernum nomen promanasse. Argumento etiam esse publicũ gentis quod hodieq; vsurpant, insigne, caput scilicet Tauri nigri in area siue campo flauo. Incolę ipsi se à Gothis & Vngaris, qui in eam venerint regionem, & fidem Christianam postea amplexi sint, descendisse ferunt. Post multorum dominatus, hanc Vriorum gentem è Germania ęgressam, ad Tigurum concessisse, eo fere tempore quo Romanum Imperium ad Germanos translatum est, & omnes fere Imperij ciuitates in libertatem sese vindicarent, & instar Rerumpublicarum administrari cępissent, nec alium superiorem agnoscerent nisi Sacrum Romanum Imperium: vt videre est è priuilegijs à Rudolpho I. Habsburgẽsi Comite,

Comite, postea anno MCCXCI. Romanorum Imperatore, & alijs sequentibus, prædictæ Heluetiorum genti concessis: quam nonnulli volunt, Austriæ Ducibus nunquam subiectam fuisse, sed Imperatoribus tantum ex ea familia, nō vero Austriæ Archiducibus paruisse.

Suitiorum pagus ad ripam iacet Lucernensis lacus, ad dextram quà Lucerna Altorfum itur. Ab Oriente finitimos habet Vnderualdios, infra & supra Syluam, ab altera parte lacus, vbi populi Roma quondam exacti habitarunt, positus est ad Occasum. *Suitij.*

Pagis his olim, iam asserta libertate Romani Imperatores iudices dederunt, qui tamen nullam administrandæ Reipublicæ sed ius tantum dicendi potestatem habebant. Horum aliqui eiecti, aliqui etiam ab hominibus libertati assuetis, male multati, & morte etiam fuerunt affecti; quod munere suo ad scelera & libidines abuterentur: vt quidam apud Vnderualdios siue Syluanos, qui robustum iuuenem tamquam bouem iugum suscipere iusserat; quod quū ille facere recusasset, per vim eum cogere voluit: at fuga elapso iuuene, iratus petulantissimus iudex, misero hominis patri oculos effodi iussit. Alius quidam eodem in pago, honestam feminam, marito absente balneum sibi parare, & vnà secum lauare *Præfectorū insolentia Pagos ad defectionē impellit.*

iusserat. at femina rem eo vsque distulit, dũ maritus reuerteretur: qui re intellecta, iusta indignatione accensus, Iudicem securi occidit. Apud Suitios & Vrios alius quidam Iudex mera petulantia vel stultitia potius instigatus, palo in loco publico iuxta viam pileum suum imposuit, addito mandato, vt omnes illac prætereuntes, pileo illi suo honorem & reuerentiam exhiberent. Id quũ Guilielmus Tellus, cordatus homo facere nollet: Iudex vocatum ad se acerbe increpuit: deinde pomum capiti pueri (is vero ipsius Gulielmi erat filiolus) impositum, sagitta petere ac ferire iussit. Per aliquot dies tergiuersatus miser pater tãdem quum vim sibi paratam cerneret, rem aggreditur periculi plenam; artis suæ (erat enim iaculandi peritissimus) & Dei inprimis beneficio adiutus, illæso filio, pomum ferit. Quum vero duas sagittas in promptu haberet, rogatus à Iudice quidnam altera illa facturus fuerit? Ego, inquit, si charissimum mihi filium læsissem, alteram illam statim in te fuissem contorsurus. Iratus Præfectus hominem captum nauigio imponi, & domum suã abduci in carcerem iubet: at homo locorum peritus, delusis custodibus, per asperrima montium iuga aufugit, & ad populares reuersus, vehementi oratione, & grauissimis querelis & eorum & vicinorũ omnium animos accendit. His iniurijs

&c alijs

& alijs Præfectorum sceleribus tres illi populi, Vrij scilicet, Suitij, & Vnderualdij irritati, Iudices omnes siue Præfectos suis regionibus eiecerunt, communi inter se facto fœdere, cui postea reliqui etiam pagi, vt infra ordine dicemus, nomen dederunt.

Anno MCCCXIV. exorto graui in Romano Imperio schismate, quod Electores, Septemviri alij Ludouicum Bauarum, alij Fridericum Austriacum ad Imperium vocassent, iam dicti tres pagi Austriacum pro Imperatore agnoscere recusarunt, vt qui pauciorum suffragijs electus esset. Quare Austriacus Leopoldum filium cum exercitu ad Suitiorum pagum oppugnandum misit; tanto faciliorem sibi promittens victoriam, quod à Bauaro illis auxilium ferri non posse, quasi pro certo haberet. Vix regionem ingressus Leopoldi quamuis lectissimus exercitus, mox vndique à tribus illis populis cæsus ac profligatus est, loci inprimis commoditate adiutis, hinc montibus, illinc aquis & stagnis vndique cinctis nec parum profuit eis tum temporis commoditas, vijs passim glacie adstrictis, adeo vt equorum in prœlio nullus omnino fuerit vsus, sed vel solo lapidum è montium iugis iactu, tantus hosti terror incussus, vt multi vltro se in lacum præcipitarint. Circa idem tempus idem Imperator Fridericus Stamburgici *Tres pagi Ludouico Imp. fauent.*

Comiti, Vnderualdijs finitimo, eos oppugnandi negocium dederat: quem tamen illi, quamuis nullis exteris auxilijs adiuti, facile aditu prohibuerunt.

Postquam vero tanti belli onus iam dicti tres pagi per biennium sustinuissent: tandem, vti dicere cœpimus, in vnum quasi Reipublicæ corpus sese colligarũt, quod trium pagorum dictum est, icto in has leges Federe.

FEDVS TRIVM PAGORVM *siue Cantonum.*

Fedus triũ Pagorum, eiusque leges.

IN nomine Domini, Amen. Quum hominum memoria valde sit debilis, & rerum successus, qui perpetua memoria conseruari debebant, obliuioni facile tradantur: vtile sane & necessarium est, vt res quæ ad pacem, quietem, vtilitatem & honorem spectant, scriptis & instrumentis publicis siue diplomatis consignentur. Quare nos sympatriotæ, Vrij, Suitij, & Vnderualdi, notum facimus omnibus præsentem hanc scripturam lecturis, aut legi audituris, quod ad occurrendũ temporis difficultatibus, pacem, quietem ac concordiam inter nos conseruandam, & vitam ac bona nostra tanto melius tuenda, communi consensu fedus fecerimus, idque fide stabili & perpetuo iuramento firmauerimus, ac promiserimus, nos cõsilijs inuicem adiuturos, & personas no-

ſtras & fortunas impenſuros tam extra quã intra patriam contra omnes illos, qui vel perſonis noſtris vel fortunis vim inferre, aut quidquam quod in damnũ cuiuſcumq; noſtrum redundare poſſit, tentare conati fuerint; contra hos tales promittimus nos vim paſſis auxilia pro viribus præſtituros, & iniuriarum auctores vel vi vel ratione ad ſatisfactionem coacturos.

Secundo concluſum inter nos eſt & ſtabilitum, ne cuiquam noſtrum Cantonum ſiue pagorum, multo vero minus cuiquam priuato liceat dominatum occupare, aut dominum recipere, ſine aliorum conſilio & conſenſu, ſed potius vt omnes vtriuſque ſexus, in debitis & honeſtis rebus, veris ſuis dominis obedientiam præſtent, ijs tamen exceptis qui ferro patriam inuadere aut iniuſtum aliquid imperare præſumſerint, quibus quamdiu à noſtris diſſidebunt, nullum omnino obſequium aut ſeruitium eſt præſtandum.

Tertio, concluſum item eſt & ſtabilitum, ne quiſquam noſtrorum pagorum aut cõfederatorum extraneum quemcumque, ſine conſilio & conſenſu reliquorum Pagorum & Confederatorum, auxilio iuuet.

Quarto concluſum item eſt & ſtabilitũ, ne quis Confederatorum cum extraneo quoquam, ſine reliquorum Confederato-

rum assensu, in vllam tractatioñe descẽdat.

Quinto, si quis forte aliquem dictorum pagorum ciuem prodiderit, aut in aliorum manus tradiderit, aut quidquam horum supra & infrascriptorum non obseruarit, illũ pro turpi proditore & nullius fidei homine haberi, Pagorũ magistratibus tradi, & bona eius publicari iubemus.

Sexto conclusum item est, ne quis vspiá toleretur Iudex seu iuri dicũdo pręfectus, qui vel pecunia vel alio illegitimo modo munus illud sibi acquisierit, aut qui non sit sympatriota.

Septimo, si inter Confederatos dissidiũ aut etiam bellum exsistat, eorum est qui meliores ac prudentiores habentur, sese interponere, & discordiam, turbas, aut bellũ modis omnibus tollere & sopire; contradicentem vero siue æquas suscipere conditiones recusantem, ipsius contradicentis sumtibus ac damno ad officium communi auxilio reuocare.

Octauo, si item inter Pagos ipsos discordia aut bellum ortum fuerit, & vnus eorũ ęquis rationibus acquiescere nolit, reliqui pagi ceteris cõtra hunc contumacem & inobedientem, & quidem huius ipsius sumtibus & damno, succurrere teneantur.

Nono, si Confederatorum quis alterum occidat (nisi defendendi sui caussa, coactum id se fecisse probarit) & fuga sibi cõsul. tum is qui talem hospitio susceperit,

autdefenderit, itidem pro bandito siue proscripto habeatur, nec in patriam reuerti ei liceat, nisi communi Pagorum consensu admissus fuerit & absolutus.

Decimo, si forte Confederatorum quis alterius domũ incẽderit, & aufugiat, ei nulla vmquã in patriã reuertendi concedatur venia; qui vero talẽ hospitio susceperit, aut auxilio iuuerit, damnum passo id resarcire teneatur.

Vndecimo, nemo Cõfederatorũ de altero pignus aliquod capiat aut auferat, nisi securitatis caussa; neq; id sine suo facere possit Iudice.

Duodecimo, omnes & singuli suo quisq; Iudici siue præfecto obediẽtiã præstare, corã eo cõparere, & caussam dicere teneatur.

Decimotertio, si quis Iudici sese opposuerit, aut ei obedire recusarit, vel sua inobedientia cuiquã Cõfederatorũ damnũ caussatus fuerit, reliquorũ confederatorum est talẽ ad officiũ reducere, & ad satisfaciendũ ei qui damnum passus est, cogere.

Decimoquarto, vt Fedus hoc & Capitulatio, & omnia suprascripta & cõprehensa in perpetuum firma sint, & suum vigorem retineant, Nos sympatriotæ & conciues, Vrij, nempe, Suitij & Vnderualdi, sigilla nostra præsentibus litteris appẽdimus, quæ scriptæ sunt in Vren Anno M CCXXV. Calend. Martij, postridie S. Nicolai, &c.

Imp. Ludouicus Bauarus Heluetijs priuilegia confirmat.

Porrò eodem anno Ludouicus Imperator ſupradictis Pagis omnia priuilegia confirmauit & rata eſſe iſſit. Nos poſthac in ceterorum pagorum deſcribendis Federibus tanto erimus breuiores, quod primum hoc ſit quaſi ceterorum fundamentum & exemplar.

Qui populi III. pagorum federi & quando acceſſerint.

Sepitis quæ diu ob prædictum ſchiſma, Imperium afflixerant, diſſenſionibus, exemplo & libertatis dulcedine inuitatæ reliquæ Heluetiorum vrbes ſiue pagi, quum iritare eas ac laceſſere potentes vicini non deſinerent, idem fecerunt, & inita cum prioribus (Vrijs ſcilicet, Suitijs & Vnderualdis, qui confederationis, vt diximus, initium fecerant) & inter ſe ſocietate, eaque artiſſimis federum legibus deuincta, potétiam confecerunt vicinis facile parem, quæ ſociorum acceſſione & victorijs adaucta, ijſdem etiam formidabilis euaſit. Lucerna federi trium pagorum quod Anno Chriſti MCCCVIII. factum fuerat, prima acceſſit Anno MCCCXXXII. Tigurum Federi nomen dedit Anno MCCCLI. Berna federi Heluetico iūcta eſt anno MCCCLV. Tugium ſiue Zug, Anno MCCCLII. Glarona cum Tugio ſimul & eodem tempore in fedus recepta eſt. Friburgum & Saladorum ſimul anno MCCCCLXXXI. in federis ſocietatem venerunt. Baſilea anno MDI. ſe decem Pagis federe iunxit.

Eodem

Eodem anno Schafhusa in numerum Pagorum recepta, cum vndecim pepigit. Abbatiscella anno M D I I. numero Pagorum est accensita. Et hæc prima Heluetiæ pars est, X I I I. pagis (quos Cantones vocant, vti diximus) constans Hi soli hoc iuris habent præ alijs confederatis, quod de omnibus ad Heluetiorum Rempublicam spectantibus, in publicis conuentibus deliberant, & suffragia ferunt, omnium totius ciuitatis cōmodorum & incommodorum participes sunt, Præfecturas quas communibus viribus acquisierint, pari iure administrant, & reliquæ prædæ publicæ ex æquo sunt participes.

Prima Heluetiæ pars.

Secunda pars sunt Federati, vt Abbas & Oppidum S. Galli, federe iunctum quatuor pagis Heluetiorū anno M CCCCLV. & postea anno M C C C C L V I. cum V I. Pagis, Tiguro, Berna, Lucerna, Suitia, Tugio & Glarona in perpetuum. Rhætorum populus siue Grisonū (vulgo Graupundtner) cum V I I. veteribus pagis æternum fedus pepigit anno M c c c c x c v i i. Curienses vero, quorum societas Domus Dei vocatur, anno M C C C C X C V I I I. Tertia societas, quæ Decem Iudiciorum vocatur, cum Heluetijs nō pepigit; sed quia duabus prioribus æterno federe cohæret, etiam Heluetijs amicitiam & fidelem societatem præstat. Sedunum cum Valesia tota,

Secunda pars Heluetiæ, Confederati.

æternũ inijt cum Bernatibus anno MCCC LXXV. Et poſt quũ religionis controuerſia orta eſſet, Hadrianus Epiſcopus Sedunẽſis, & ſeptẽ Decũmę Valeſianorũ fedus fecerunt 1532. Friburgi cum ſeptem pagis Heluetiæ, Lucerna, Vria, Suitia, Vnderualdia, Tugio, Friburgo, Salodoro, ex integro Romanæ religioni adhærentibus. Rotueil primo fedus inijt cũ Heluetijs an. MDLXIII. in annos quindecim; quod aliquoties renouatum, anno 1519. perpetuo ſancitũ eſt. Mulhuſen anno MCDXIX. Heluetijs ſeſe coniunxit. Bienna, Piel, Bernatibus ſe federe aſtrinxit annis 1303. 1306. 1352. ac 1367. artiſſimo. Geneua ius ciuitatis cum Bernatibus pepigit, idque artius firmauit anno MDXXXVI. nondum tamẽ cõmuni Pagorum ciuitati ſiue corpori inſerta eſt.

Tertia pars Heluetiæ in qua Præfecturæ.

Tertia in parte ſunt præfecturæ, armis aut ſpontanea deditione acquiſitæ. Turgouia anno MCCCCLX. in poteſtatẽ Heluetiorũ redacta, cui VII. vetuſtiores Pagi imperant. Aquẽſis ſiue Badenſis ſubiugata anno 1415. cui 9. primi Pagi imperant. Rheguſci, an. MCDCI. cõquiſita, à VII. primus Pagis & XIII. regitur. Sarunetũ, Sargans vulgo anno MCDLXXXIII. à Geórgio Verdenbergenſi Comite VII. primis Pagis venditum, à quibus etiam regitur. Liberæ Prouinciæ captæ anno MCDXV. ſeptem veterũ pagorũ agnoſcunt imperiũ,

Luga-

Lugana, Locarnum, Mendresium, vallis Madia. Hæ IV. Præfecturæ ex dono Maximiliani Sfortiæ Ducis Mediolanensis an. MDXIII. in Heluetiorum potestatem venere. His omnes pagi præsunt, excepta Abbatiscella. Bilitonum vel Bellizona, cuius imperiū ad tres III. Pagos spectat, eisq; confirmatum est anno MDXIII.

Valesia, quæ itidem Heluetico fœdere cō-prehenditur, tres populos, ac proinde triplex complectitur fœdus. Duo priores sunt Viberi & Seduni, qui vno nomine Liberi Valesij superiores dicuntur, & in septē cō-uentus, quos Decumas vel Decinas vocant, diuisi sunt. Veragri, qui & Valesiani inferiores, superiorum imperio parent. Omnium tamen Princeps est Episcopus Sedunensis, qui summam tam in Ecclesiasticis quā ciuilibus rebus auctoritatem obtinet, & Comes atque Præfectus Valesiæ nominatur *Valesiani.*

Porro Heluetiorū Respublica ex optimatū & populari imperio mista est. Etenim ex his populis quibus tota ciuitas cōstat, quidam Democratico imperio vtūtur, vbi totiꝰ plebis cōsilio fere omnia agūtur, veluti in his pagis qui nulla habēt oppida, vti sunt Vrij, Suitij, Vnderualdi, Glaronenses & Abbatiscellani. & par ratio est Tugiorum, quamuis hi oppidum habeant. Alij ab optimatibus reguntur, vt omnes vrbes Heluetiçę, Tigurum, Berna, Lucerna, &c. *Reip. apud Heluetios forma.*

Sed

Sed quum potestas summa penes populum sit, à quo Magistratus eliguntur, mistę sunt hæ Respublicæ, & aliæ plus Aristocratiæ, aliæ plus Democratiæ habẽt. Sed iam tempus est vt pagos singulos, & eorum federa breuiter describamus.

PAGVS LVCERNENSIS.

Lucernas Pagus.

PAgus hic nomen habet à Lucerna ciuitate: quæ initium, vt nonnulli volunt, è quodã manasterio anno DCCCXL. sub Ludouico II. Francorum Rege cepit: cuius quidem etiam hodie extra ciuitatem ad alteram Rusæ fluuij ripam vestigia mõstrantur. Sita est ad Rusam fluuium, qua is effluit ex Lacu amplo, Lucernensi à dicta vrbe dicto, & per quem ad tres pagos nauigatur, ad pedem altissimi montis, quem Fractum, & Pilati montem vulgo nuncupant. Locus vrbi commodus est, quod hac iter sit in Italiam per Alpes Lepontias, quẽ Montem S. Gothardi hodie vocant. hinc merces ad Alpes subuehuntur, indeque in Italiam clitellarijs iumentis, & vicissim Italiæ merces per Lacum & Rusam fluuium in Rhenum, ac porro in Oceanum deferuntur. Vrbs est satis amœna & elegans, dignitate ac opibus florens, commune emporiũ Suitiorum, Vriorum & Vnderualdorum. Federi accessit anno MCCCXXXII. vt supra

ſupra dictum eſt: cuius hæc vis eſt.

Primo articulo Cæſarea Maieſtas & S. Romanum Imperium excipiuntur, vt & ipſa Lucerna ciuitas, ne ſcilicet quid vnius vel alterius iuri, priuilegijs, & antiquis conſuetudinibus per hoc derogetur. *Præcipua federis Lucernen-ſis capita.*

Secundus eſt de finibus antiquo more regundis.

Tertio & Quarto, vt pars vna apud alteram cauſſam dicat; & de iniurijs partis vnius, reliquæ cognoſcant, & iniuriam facientem ad officium communibus auxilijs cogant.

Quinto, vt auxilium ſuis quiſque proprijs ſumtibus ferat.

Sexto, vt Controuerſiæ melioribus & prudentioribus ex vnoquoque Pago delectis, decidendæ permittantur eorumque ſententiam ſtetur, & detrectans, ſuo damno & ſumtu ad officium reducatur.

Septimo ſi controuerſia inter tres Pagos exſiſtat, & duo conſentiant, vt tertius Lucernatum opera ad cōcordiam reducatur, niſi manifeſta duorum Pagorum vtilitas aliud ſuadeat.

Octauo, ne alij ſine communi conſenſu in fedus recipiantur, aut federa cum alijs ineantur.

Nono, vt nemini confederatorum, niſi iudicis interuētu ab altero pignora capere liceat.

Deci-

Decimo, sententiæ sese opponens, damnum inde ad alios redundans, resarcire teneatur.

Vndecimo, ab vno Pagorum proscripti, in ceteris proscripti, itidem habeantur; & tales suscipiens, in eandem pœnam, non tamen capitis incurrat.

Duodecimo, vt federis hui' caput aliquod violans, pro homine nullius fidei habeatur.

Decretum Sangallēse. Orta deinde de arbitrorum ad lites componendas vtrimq; deligendorum numero controuersia, in cōuentu Sangallensi decretum est, vt in tali casu è Lucernatibus tot quot à tribus Pagis ad hoc deligantur, & æqualitas vbique, siue tres Pagi inter se, siue à Lucernatibus, aut hi ab vno aut duobus eorum dissideant, seruetur.

TIGVRVM.

Tigurinus Pagus & ciuitas. TIgurum, quæ Thuregum etiā, Germanis Zurich dicitur, vetustissima vrbs est, sita loco amœno, ad exitum magni cuiusdam Lacus, cuius pars inferior ab vrbe nomen habet, effunditque amnem Limagum, quem haud procul à Glarona recipit, & diuidit vrbem in duas ciuitates, maiorē & minorem, quæ tamen tribus coniunguntur amœnis pontibus. Forum habet frumētarium amplissimum. Est enim solum huius tractus, ac præsertim circa Tigurum, vini

vini & frumenti plurimi ferax, quod inde ad Rhætos vſque exportatur. Reliquæ annonæ forum illic quoque locuples eſt: Lacus ſubuectioni idoneus. Etſi autem Tigurum quinto demum loco Heluetico federi acceſſerit, nihilo tamen minus propter vrbis celebritatem & potentiam princeps locus omnium cõſenſu illi datus eſt, quem hodie quoque, etſi aucto federe, in comitijs, legationibus, alijſque publicis actionibus retinet, & ſumma cum dignitate tuetur.

Tiguri & Baſileæ eadem fere obſeruatur Reipublicæ adminiſtrandæ ratio: de qua paucula ſubijciemus. Ex tribubus omnes qui publicis conſilijs interſunt, pari numero è ſingulis deliguntur, tam Tiguri quam Baſileæ. Sunt autem præcipuæ auctoritatis duo publica Conſilia in hiſce vrbibus. Maius, quando plures totius plebis conueniunt; & id plerumque tantum in grauioribus negocijs, & quæ ad totã Rempublicam pertinent, conuocatur. Minus, quod quotidie Reipub. adminiſtrãdæ incũbit, & ciuium controuerſias cognoſcit. Ac Tiguri quidem Maius Conſiliũ eſt CC. hominũ, Baſileæ CCXLIV. Minus conſilium Tiguri L. hominibus conſtat; Baſileæ LXIV. Etenim è ſingulis tribubus duodeni in Maius conſilium aſſumuntur, niſi quod Tiguri è nobiliũ ſocietate XVIII. deligũtur. In Minus cõſiliũ Tiguri ſingulæ tribus ternos

Ratio adminiſtrãdæ Reip. apud Tigurinos & Baſilienſes.

dant

dant homines, quaternos Basileæ. His accedunt duo Consules in singulis vrbibus, publici Consilij capita. Basileę prętereà totidem Tribuni, quos vnà cum consulibus capita nominant. Præterea Tiguri Nobilium societas senos in Minus cōsilium mittit, quum aliæ tribus tantum ternos dent; & adhuc sex alij liberis suffragijs cooptantur, ex quibuscumque tribubus magistratui visum fuerit. Minus Consilium diuiditur in Vetus & Nouum. Veterem Senatum eos nominant, qui per semestre munere suo defuncti sunt. Hi etsi quoque conuocantur quum Senatus habetur, non tamen semper vocantur; & sunt quædam quæ Nouus tantum Senatus transigit. Basileæ etiam Maius Consilium simili modo diuiditur, atque è duodecim viris tribuum, sex Nouo. & totidem Veteri senatui accensentur. conuenit autem Minus consilium plerumque ter, nonnunquam etiam quater, singulis septimanis. Vtriq; senatui præest consul. hunc Maius Consilium eligit. consulibus potestate proximi sunt Tribuni: quorum tres sunt Tiguri, duo Basileæ, qui vna cum Consulibus quatuor vrbis Capita nominā-tur. Sed hæc satis. Plura qui petit, Iosiā Simlerum adeat, copiose & docte his de rebus disserentem.

Federis porro à Tigurinis cum quatuor Pagis anno M CCCLI. facti, ea vis est: vt

communia

communia ab omni parte auxilia præstentur ijs, quibus intra certos terminos cõprehensis, vis aut iniuria à quoquam fiet. Vt ad auxilium vocati, sine mora præsto adsint: sumtum vero de suo faciant. Vt in subitaneis casibus in Fano Abbatiæ ad D. Virginem conuentus habeatur, & de eo quo opus fuerit, deliberetur & concludatur. Vt obsessi ijs qui auxilium ferent, impensas restituant. Vt quicumque damnum alicui Cõfederatorum dederit, in eum & eos qui ipsum adiuuerint, iure Repræsaliorum siue sequestrationis tam in corpore quam in bonis vti liceat. Vt Controuersiæ inter Confederatos à binis vtrimque delectis decidantur: inter quos si non conueniat, aut suffragia paria sint, illi communi consensu vnum è Confederatis eiusmodi negotio idoneum adsciscant, atque ita sententiam ferant. Vt nemo Confederatorum ab altero pignus capiat, nisi creditor parum sibi cautum probet. Vt proscriptis à ceteris Confederatis domicilium aut vitæ necessaria non subministrentur. Vt nemo Confederatorum cum alijs fedus faciat. Vt vnicuique suis antiquis priuilegijs, immunitatibus & libertate, vti frui concedatur. Vt federis tabulis, si communiter omnibus ita visum fuerit, addere aliquid, detrahere, vel mutare liceat, &cæ. Cetera capita eadem fere sunt cum superioribus in federe Lucernate.

Tugium siue Zug.

Tuginus Pagus. Tugium, vulgo Zug, oppidum, eiusdemque nominis regio, versus Septemtriones Suitiam vicinitate attingens, in pede pascui & vitibus consiti montis, lacui piscoso adiacet, cui à ciuitate nomen, Lacus Tuginus: qui ad meridiem versus, ad Artense oppidum extenditur. Agrum compascuum, vini frumentique feracem habet. Paruit aliquando Nobilibus, postea in Austriorum potestatem peruenit. hi bello Heluetico, perpetuo prælidia illic aluere, quæ Suitios & Tigurinos infestabant. Itaque anno MCCCLII. Tigurini cum quatuor alijs Pagis expeditionem aduersus Tugium suscepere. Præsidiarij oppidi munitionibus diffidentes, ante aduentum Heluetiorum id delernere; ciues tamen qui fidem Austrio seruare vellent, obsidionem per dies XV. sustinuerunt. Tãdem deditionem fecerunt, & Heluetijs sacramentum dixerunt, hac conditione, vt si intra præfinitum tempus Dux Austrius eos, adducto exercitu, obsidione liberaret, ab Heluetico sacramento liberi, in eius obedientiam redire possent. Quum autem vidissent in Austrio sibi nullam spem esse, Heluetico sese federi iunxerunt, ijsdem plane quæ suprascriptę sunt, conditionibus. factum id *Fedus.* Lucernæ, anno MCCCLII. die Mercurij post festum Ioannis Baptistæ.

Glana,

Glarona, vulgo Glaris.

Glarona, Heluetici federis vallis ac regio, iuxta Limagum fluuium, non admodum ampla, longitudine trium milliariorum Germanicorum, nomen habens à præcipuo totius regionis vico, cincta vndique fere altissimis alpibus, à meridie & oriente Rhætos, ab occasu Vrios & Suitios attingit, à Septemtrionibus castra Rhætica dictam regionem, quà Limagus vallem egreditur. Huius regionis iurisdictio, vnà cum quibusdam prouentibus sunt tempore S. Fridelini per Comitem quemdam donata monasterio Seckingensi, tempore scilicet Clodouei, primi Francorum Christiani Regis, nempe anno Domini 17. qui primus Francorum Rex fuit qui in Rhætia, Alemania, & Heluetia imperauit. Consequuta est hæc regio posteris temporibus libertatem & propriam iurisdictionem, adiunxitque se federi Heluetico anno M C C L I I. Viuunt incolæ lacte, caseo, butyro, & carnibus. Ibi inter angustias montium nulli aut pauci seruntur agri, raræ plantantur vites. Hortos pomiferos habent, & prata lætissima. Vinum & frumētum aliunde inuehuntur. Pisces Lacus ministrant. Aues carnesque ferinas syluosi montes suppeditant. Patriam hanc Henricus Glareanus, & Ægidius Tscudus, viri doctissimi, ortu suo nobilitarunt. Est autem *Glaronensis Pagus.*

Glarona in XV. partes distributa, quas vocant Taguan. Imperat Verdenbergensi Comitatui, quem emerunt anno M D X V I I. cum Suitijs alternatim Præfectos mittunt Vzenacum, & in castra Rhætica siue Vesem.

Fedus. Porro federis idem fere tenor, & eadem omnino vis est quæ superiorum.

Berna.

Berna. Berna, si annos numeres, non admodum vetus vrbs est; si situm & cultum, si mores & ciuilitatem, si leges & instituta, si potentiam & virtutem respicias, nulli vrbium cedit. De eiusconstructione sic legitur. Berchtholdus Zeringiæ Dux IV. huius nominis, construxit suo tempore duo Friburga, hoc est, libera castella, vnum scilicet in Brisgouia, alterum in Nuchtlandia. Et quo sui subditi firmiorem & tutiorem in Nuchtlandia haberent mansionem, deliberauit aliam exstruere ciuitatem, iuxta arcem suam quæ Nideck appellabatur, in peninsula quæ Saccus vocabatur, quã tunc sylua quercina occupabat. Quodam autem tempore quum idem Berchtholdus venationi intenderet, dicebat suis: Ciuitatem quam in hoc opportuno loco condere deliberauimus, nominari volumus vocabulo bestiæ quæ nobis prima occurrerit captaque fuerit. Ceperunt autem Vrsum, quem Germani *Beren* vocant. Est autem huius ciuitatis situs in peninsula, quam

quam facit Arola fluuius nauigabilis. Nam ad meridionalem plagam vrbis fluit amnis ille in demisso loco ab occasu in ortum, ac tunc reflexus, petit occasum, ad iactum bõbardæ, quanta scilicet est longitudo ciuitatis: sicque amnis est ciuitati loco fossæ aqua inundantis, nisi quod ad occasum ad iactum balistæ, fundus ciuitatis cohęret continenti, qui isthmus si perfoderetur, haberet Berna formam insulæ. Est autem à meridie & septentrione valde profundus despectus in subiectam aquam; ab ortu lenis est ascensus in summum ciuitatis. Adiacens solum omnium rerum est ferax præterquã vini, quod haud procul ę sua terra Bernates optimum aduehunt. Apud hos summus magistratus & publici Consilij caput prætor est, quem *Schuldheissen* appellant, Germanica voce, tanquam eum qui debitoribus imperet vt creditoribus suis satisfaciant. Consilia etiam hic publica duo sunt, Maius & Minus. Maius Consilium Bernæ, sicut & Tiguri, nomen habet ducentorum, quamuis plures sint ducentis. Minus vero Consilium Bernę est hominum XXVI. Senatus eligendi ratio hæc seruatur. Quatuor vrbis signiferi ex omni ciuium numero viros XVI. expertæ fidei & virtutis sibi adiungunt: atque hi XX. viri vnà cum Consule, Maiorem Senatum eligunt, ac postea etiam Minorem. Consu-

Administrandæ Reip. ratio.

les, quorum præcipua dignitas est, ab vtroque Consilio communibus suffragijs eliguntur. Administrantur autem à Minore Senatu res vrbanæ, ac prouocationes subditorum audiuntur, præterquam ex Præfecturis Sabaudicis postremo bello captis. Quæ autem ad totam Rempublicam pertinent, maximique sunt momenti, ad ducentos seu Maius Consilium referuntur. Consul qui vtrique Consilio præsidet, ab vniuerso populo deligitur.

Fedus cum Heluetiis

Federis porro anno MCCCLV. a Bernatibus cum tribus Heluetiorum pagis initi eadem fere vis est quæ Tigurinorum, nisi quod certa locorum, quousque scilicet auxilia mittenda, & sumtuum ratio assignatur; tum lites vtrimque incidentes ab arbitris (quorum ibidem eligendorum ratio ostenditur) decidi iubentur.

De Rhætis siue Grisonibus,

Rhætorum origo.

Explicatis præcipuis Heluetiorum Pagis (ceterorum descriptionem è Chorographicis libris petat qui volet) de Rhætis & Valesianis pauca dicenda restant. Rhætorum scriptor Italicus hanc originem tradit. Bellouesus, inquit, cum magna Gallorum multitudine annis ante Christum natum CLXXVIII. in Italiam profectus, eam Hetruriæ siue Tusciæ partem vbi nunc Florentia, Pisæ & Luca cernuntur, occupauit, expulsis vetu-

vetuſtis cultoribus, qui Rhæto quodam duce inter aſperrimas Alpes, nō procul à Rheni & Atheſis fontibus, ſedem ſibi delegerūt, & tam in montibus quam vallibus arces & pagos aliquot condiderunt, & fines ſuos à Brigantino lacu ad Italiam vſque, vbi Comum, Verona & Tridentum iacent, protulerunt. Anno poſt Chriſtum CCCLVII. Conſtantinus Imperator cum Germanis bellum gerens, exercitum in Rhætiam adduxit, & in planicie quadam ad Alpium fauces, vnum milliare à Rheno diſtante, conſedit, vbi poſtea anno CDXLVIII. inſignis & Epiſcopalis ciuitas, ab Imperatoris ſede Curia dicta, effloruit. Habuit hæc vſque ad annum MCDXLI. triginta duos Epiſcopos, qui Rectores & Defenſores Rhætiæ dicuntur. Primum fedus Epiſcopus & Collegium cum ciuitate percuſſit: cui poſtea vicini Abbates & reguli aliquot nomen quoque dederunt. Id Fedus *Domus Dei* vocatura. Non multo poſt omnes vallem illam habitantes, commune fedus fecerunt, quod *octo* Calij *Decem*) *iudiciorum* appellant. Tandem Griſones (ſic enim tum dici cœperunt) muniendi ſui cauſſa cum ſeptem Heluetiorum Pagis æternum fedus pepigerunt: cuius eadem omnino vis eſt quæ ſuperiorum, vt ſcilicet mutua auxilia præſtentur, neque cum hoſte pax fiat, niſi altera quoq; parte cōprehenſa. Domus Dei

Valesia.

Valesiæ descriptio. Vallis huius situm breuiter explicabo. Porrecta est secundum vtramque Rhodani ripam, trium aut quatuor dierum secundum longitudinem itinere patens; cincta vndiq; altissimis montibus, perpetua niue candentibus. Initium sumit à Fano S. Mauritij, versus lacum Lemanum, vbi pons Rhodano impositus, porta clauditur & à custodibus seruatur; & extenditur ad montem vsque S. Gothardi. Populi hi Seduni olim dicti fuerunt; quod nomen hodieque primariæ ciuitati mansit. Vniuersa vallis in duas partes diuiditur, superiorem scilicet & inferiorem. Superior initium sumit à Furca monte, & ad Morsum vsque fluuium paullo infra Sedunum sese extendit, & VII. Conuentus quos *Decumas* vocant, & in vniuersum triginta circiter Parochias complectitur. Inferior à dicto fluuio ad Mauritij vsque pontem porrigitur, sexque continet Communitates, quas *Bandieras* vocant, in quibus XXIV. Parochiæ numerantur. Huius incolę superioribus Valesijs parent: sed, vt supra quoque diximus, summam Episcopus Sedunensis obtinet auctoritatem & potestatem, qui sex arces montibus impositas & bene munitas habet. Vallis vniuersa omnium rerum ad vitam hominis necessariarum inprimis fertilis est & fecunda: cuius descrip-

tionem

onem latissimam vide apud Munsterum in Cosmographia.

Anno MCDXVII. Valesiani cum Lucernatibus, Vrijs, Suitijs & Vnderualdis fedus fecerunt, quinque sc. hę Decumæ: Sedunum siue Sitten, Siders, Visp, Brigen, & Gembs: anno vero MCDLXV. cum Bernatibus. Tandem patrum nostrorum memoria anno MDXXVIII. prædictum fedus cum Vrijs, Suitijs, Vnderualdis, Lucernatibus, Tigurinis, Friburgijs & Salodoranis, ab Episcopo, Collegio & septem Decumis est renouatum. Eius præcipua capita & leges sunt: Vt auxilia mutua præstentur. Vt ad defectionem à Christiana religione alios cogere volentes, communibus auxilijs prohibeantur & coerceantur. Vt homicidia vbi commissa sunt puniantur. Vt noua vectigalia imponere aut augere, ad aliorm detrimentum, nemini liceat. Vt vetus libertas tam in spiritualibus quam sæcularibus conseruetur. Vt vetusta federa rata maneant, nisi Religionis dissensio inciderit. Vt decimo quoque annno Fedus hoc renouetur, &c. *Fedus Valesianorum.*

Oppidum & Monasterium S. Galli, Mulhusium & Rotuila.

Præter XIII. Pagos, Rhætos siue Grisones, & Valesianos, Heluetico quoque federi adiuncta sunt oppidum siue Fanum S. Galli, Mulhusium, & Rotuila. S. Galli oppidum *Oppidum S. Galli.*

pidum à lacu Brigantino non longe distat, in valle quadam aspera positum. nomen habet à S. Gallo, qui è Scotia eò veniens, primum eo in loco habitauit vbi iam Abbatiscella visitur. Huius successores tandem eò potentiæ peruenerunt, vt vicinos continuis fere bellis vexarint, donec tandem anno MCDLV. cum IV. Heluetiorum Pagis fedus pepigerunt, quamuis Imperij essent beneficiarij siue clientes, cuius eadem vis est quæ superiorum.

Mulhusium ciuitas est Imperialis, non longe à Basilea distans: Rotuila vero Sueuiæ ciuitas est; quarum vtraque cum Heluetijs, illa quidem anno MCDLXVIII. hæc vero anno MCDLXIII. fedus inijt, ijsdem legibus fere & conditionibus quibus superiores, quod multoties deinde fuit renouatum.

Controuersiæ ob religionem sopitæ.

Porro quum superioribus annis ob religionis dissidium multæ inter Confederatos exortæ essent controuersiæ, adeoque in apertum bellum exarsissent; tandem conuẽtibus aliquot habitis, Galliæ regis interuentu, Pax religioni constituta est, his fere legibus, vt vnicuique liceat quam velit amplecti religionem. Ne religionis caussa cuiquã vis fiat, aut iniuria vel probrum & ludibrium inferatur. Vt antiquum fedus omnibus suis partibus integrum conseruetur, &c.

Ceterum non abs re monendus mihi Lector

ctor videtur, tres esse modos quibus Respublicæ eiusmodi fines suos amplificare studuerunt. Primus à Lacedæmonibus & Athenienbus fuit vsurpatus, qui quascunque cepissent ciuitates, suo statim subiecerunt imperio; aut quas defendere non poterant, desolarunt: quod non ignorarent, difficillimum esse libertati assuetas ciuitates sub imperio retinere. Et hic quidem modus omniũ est maxime incommodus & infructuosus.

Secundus is est, quo Hetrusci olim ante Romanum conditum imperium, vsi sunt, duodecim s. ciuitates, Fesulæ, Aretium, Volaterra, &c. quæ simul iunctæ, Reipublicæ quasi formam quanquam constituebant, ita vt nullus inter eas digitatis gradus esset, & oppida acquisita, immediate in societatem reciperentur.

Tertius Romanis fuit vsitatus, qui multos populos socios sibi fecerunt, hac tamen lege vt Populi Romani maiestatem comiter illi obseruarent, & tam imperandi partes quam regiones bello acquisitæ Romanorũ subijcerentur imperio. Et hic modus amplificandæ Reipublicæ semper habitus fuit cõmodissimus, vt reipsa compertũ est. sed nec al ter ille spernendus est, quippe quo ciuitates illæ non modo totam Hetruriam, verùm etiam magnam Lombardiæ partem sub imperium redigerunt.

Et hunc

Et hunc quidem modum hodieque obseruant Heluetij & Confederati, qui in vnum quasi Reipublicæ corpus, in plura mēbra distinctum coaluerunt, sine vlla fere graduum & dignitatis distinctione, eiectis permagna ex parte regulis & dominis, qui iurisdictionem olim & superioritatem habuerunt. Iure enim Heluetij omnes fere pares sunt, nisi quod ij qui magistratibus funguntur, aut prudentiæ aliarumque virtutum laude commendantur, à reliquis obseruantur & præcipuo habentur loco. Hinc odiũ illud inter Principes ab vna, & ciuitates Germanorum ac Heluetiorum Rempubl. ab altera parte. Illi enim imperium affectãt; hæ vero libertatē amant ac summis viribus propugnant, immò omnē Nobilitatem odio habent, libertati scilicet infestã. Quapropter illi qui in Germaniæ ciuitatibus remanserunt, Heluetiorum metuentes exemplum, omni contentione discordiam inter eos alere student: quin etiam omnes qui arma inter Germanos tractant, natura Heluetijs parum sunt beneuoli, eò scilicet, quod illis rei militaris gloria florentibus, se non magno in precio sentiant haberi. Sunt enim Heluetij, vt initio diximus, bellicosi admodum, & ad quosuis perferendos labores, natura quodammodo facti, vtpote inter asperrimos montes nati & educati. Militiam à teneris continuo exercent, & Romanorum

Heluetij libertatis amantes.

Heluetiorũ natura.

more,

more, ordines seruare, arma tractare, & quidquid eò pertinet, condiscunt. Statura plerumque sunt mediocri, atque etiam infra mediocrem, sed bene compacto & robusto corpore. Opibus nō abundant: quod tamen deest, parcimonia supplent, aut facile eo carent. In vestibus nullus eis luxus, vt nec in cibo & potu, vt qui magnam partem carne & lacticinijs viuant. In moribus agreste quiddam & impolitum præ se ferunt, omnis affectatæ elegantiæ hostes.

Heluetiorū am citia à multis expetita.

Anno M.D.XIII. Franciæ Rex Insubriam siue Mediolanensem Ducatum oppugnaturus, Heluetijs vt sibi militarent, multis modis persuadere conatus est: quod tamen illi ob fedus cum Maximiliano Imperatore & domo Austriaca præfracte recusarunt. Quum vero Rex nihilominus expeditionem cum decem peditum & totidem equitum millibus suscepisset, à nouem Heluetiorum millibus vniuersus ipsius exercitus profligatus fuit & dissipatus. Sequenti anno Pontifex, Imperator, & Dux Mediolanensis certatim non minori studio Heluetiorum auxilia ambiuerunt, promissa annua pensione; eoque res tandem deducta est, vt fedus illi cum Pontifice Leone X. percusserint. Inde Franciæ regem iterum cum quadraginta peditum & viginti equitum millibus & centū maioribus tormentis in Italiam descenderentem, triginta sex Heluetiorum millia adorti sunt,

ſunt, & prœlio vicerunt, in quo ſeptem Heluetiorum & duodecim Gallorum millia ceciderunt: tuncque in Pedemontio & Iuſubria quinquaginta Heluetiorum millia numerati dicuntur. Commiſſo hoc prœlio Imperator Heluetios per Legatos monuit, ne pacem cum Gallorum rege facerent: illi vero nihilominus, promiſſa male ſibi ſeruari ac parum dignam gratiam rependi conqueſti, ad Galliæ opes reſpexerunt, pace cũ Franciſco Rege Anno MDXVI. Genuæ facta, atque etiam artiſſimo inito cum Galliæ regno, certis aſſignatis annuis penſionibus, fœdere, in quo hactenus conſtanter permanſerunt.

THESAVRI POLITICI APOTELESMA L.

Quod eſt

Politici Status in Daniæ regno

DESCRIPTIO.

Daniæ deſcriptio. DAniæ Regnum amplũ & valde populoſum, vulgo Danemarchia, quaſi Danorum tractus ſiue regio appellatur. Quæ autem horum Danorum fuerit origo, ne ipſis quidem Danis ſatis cõ-

ſtat

ſtat, niſi quod quidam à Dano primo ipſorum Rege, & aliqui à Dahis Aſiæ populo, eam repetant. Dudo autem Sanquintinus, Gulielmo Camdeno referente, eos è Scandia in veteres Cimbrorum ſedes veniſſe aſſerit, videntur autem ab aquis dicti, quia *Aha* ſiue A apud illos fluuium ſignificat, & ipſi ſe Daneman, quaſi viros aquaticos & fluuiales vocant.

Diſtincta eſt autem vniuerſim Dania in Præfecturas centum & octoginta quatuor, quæ *Haret* dicuntur, & à totidem Præfectis legum Danicarum peritis adminiſtrantur. Habét Regem magis ex procerum electione quam ex natalium ſucceſſione. Eius eligendi vetus mos fuit, vt quum ſuffragia ferrent, in aperto campo lapidibus inſiſterent, eo facto, nempe ſubiectorum lapidum firmitate, electionis conſtantiam deſignantes. Iam vero coronantur Reges Hafniæ, in templo D. Mariæ, ante altare, & in prædictum templum à Regni Senatoribus ducuntur; & inſignia Regia illis præferuntur, vt ſunt enſis, globus, corona. Neque hæc munera ſunt certis & proprijs familijs attributa, vt in reliquis fere regnis, ſed vt quiſq; virtute ac dignitate præcellit, ei muneri adhibetur. Poſtea oportet Regē iurare, articulos præſcriptos, qui in vſu ante aliquot tempora fuerunt, ſe ſtricte ſeruaturū, & religionem Chriſt. iura ac con-

Daniæ Præfecturæ.

Mos Regis eligendi.

ac consuetudines regni defensurum. Deinceps vngitur ab Episcopo Rotschildiensi, & ab omnibus Regni Senatoribus primo illi corona imponitur, qui Maiestati suæ tunc iuramentum præstant, si ante coronationem nó fuerit factum. Rex postea ex Nobilitate & Proceribus Milites aut Equites auratos leni percussione ensis designat, qui antea in bello & pace egregiam operam præstiterunt. Et sic maiores Danorum optimum politiæ statum & monarchiam constituerunt, nec vlla vnquam natio eos plane subegit, vel patrios ritus & priuilegia sustulit. At contra populi septemtrionales, vt Dani, Sueci, Noruegi, totam pœne Europam deuastarunt, & in nonnullis locis regna etiam constituerunt. Nota est enim apud omnes Historiographos Cimbrorum in Italiam expeditio, Longobardorum regni in Italia constitutio, Gothorum Hispaniæ subactio, Normanorum in Gallia habitatio, Regni Neapolitani & Siciliæ erectio, Gotfridi contra Carolum Magnum in Frisiam eruptio, Anglorum per aliquot annos in Britannia insula subiectio. Canutus etiam cognomento Magnus, quinque Imperia tenuit. Rex enim Daniæ, Sueciæ, Noruegiæ, Angliæ & Normaniæ fuit, necnon Henrici III. Imperatoris socer. vnde hi versus extant:

Septemtrionalium populorum expeditiones.

Desine

Desine mirari quos garrula laudibus effert
Græcia, quos iactat Roma superba, Duces.
Danica non vlli veterum virtute secundum
Edidit, hyberno terra propinqua freto.
Facta mihi Magni pepererunt inclita nomen:
Quinque sub imperio regna fuere meo.
Me sibi delegit socerum qui tertius orbis,
Arbiter Henricus nomine sceptra tulit.
Iustitia præclarus eram, regesq́ue potentes
Subiectos docui legibus esse suis.

Ex quibus constat, vt etiam ex sequentibus bellis, quæ varij Reges ex Oldenburgensi familia gesserũt, gentem Danorum esse bellicosissimam, & terra marique profligandis hostibus felicem. Liberam semper habuerunt Proceres ac Senatores Regni potestatem eligendi Reges, vt adhuc habẽt: sed plerumque filium Regis primogenitum designarunt, nisi grauissimis caussis impedirentur, nihilominus tamen à regiæ familiæ linea vel prosapia numquã deflexerunt. Regnum diuidi, nisi coacti intestino aliquo bello, non permiserunt. Iuniores filios aut fratres Regis in alias prouincias ablegarunt, quum participes Regni fieri non possent. Inde tot expeditiones susceptæ, quum etiam Nobiles ac plebeij omnes honestum in patria locum habere non possent, vel vt loca opportuniora adipiscerentur. Septemtrionales enim populi valde fecũdi sũt, propter sanguinis abũdantiam ac calorem pugnaces

 & rixosi

& rixosi, plurimi cibi & potus (aer enim frigidus appetitum excitat) quem tamen concoquunt, propterea viuaces etiam, formosi, proceræ staturæ, fidei tenaces. Viuaces esse argumento est, quod Reges ipsorum valde diu regnis præfuerint, multi XXX. omnes nonnulli XL. annis aliqui etiam diutius.

Primus Regni Status, Rex. Secūdus, Nobilitas.

Porro regnum vniuersum in quinque Status siue Ordines diuisum est. Primus est Regis, & Regiæ familię. Secundus, Nobilitatis. Sed hic sciendum inter nobiles hos nullos esse Comites aut Barones, multo minus Duces: sed omnes longa serie maiorum nobilitatem demonstrare posse, Clypeos gestant simplices, quos mutare aut augere, dedecori esse antiquitati illorum putant. Viuunt adhuc nonnullæ familiæ quæ adfuerūt tractationi inter Carolum Magnum & Hēningum Danorum Regem, super Eidora fluuio factę, vt Vren, & alij. Hi possident sua bona cum minori ac maiori siue capitis Iurisdictione, liberam etiam habent venandi aucupandiqne potestatem in suis bonis, qnemadmodum Comites in Germania. Bona illorum in toto regno non sunt feudataria, sed hæreditaria siuę allodialia. Omnia castra, prædia & bona, tam mobilia quam immobilia à parentibus relicta, æquis portionibus diuiduntur inter fratres. ad ea sorores etiam admittuntur, ex singulari priuilegio, ita tamen, vt frater duas partes, soror vero vnam

ro vnam tantũ capiat, filijsque arces & castra cedant. Sic multa prædia ad primogenitum venire non possunt, sed diuiduntur. Et nonnulli honestis familijs prognati, & virtute præditi, possunt per matrimonia, Regibus adiuuantibus, ad amplas possessiones promoueri.

Ex hoc Nobilium ordine eliguntur Senatores Regni, quorum numerus XXVIII. raro excedit. Senatoribus omnibus honesta decreta sunt alimenta à Rege & Regno. Singuli enim arces habent quamdiu Senatoriã obtinent dignitatem, de quibus nihil Regi dependunt, sed tantum coguntur equites aliquot alere pacis & belli tempore, & quandocunque à Rege euocantur, ei proprijs sũtibus in Regno præsto esse. Si Legati extra Regnum ablegantur, honeste illis prouidetur ex fisco, vt tanquam Regij Legati Principum more, in itinere viuere ac sese ostẽtare possint. Reliqui Nobiles etiam honestũ à Rege habent stipendium, siue in aula Regia viuant, siue ab ea discedant. Nam habet Rex prædia, quæ Danico nomine Verlehen-inge, id est beneficia vel feuda vocantur. His prouidet bene de se Regnoque meritis, ad vitam aut aliquot annos: De his coguntur equites aliquot alere, & fisco certã pecuniæ summam singulis annis dependere, eo tamen modo, vt pro labore & proprijs seruitijs etiam aliquam prouentus partẽ accipiãt.

Senatores Regni.

Est etiam salutaris in Daniæ Regno constitutio, qua Rex prohibetur bona immobilia emere à Nobilibus, eam potissimùm ob caussam, ne aliqua dissensio inter Regem & proceres Regni oriatur. Rex enim alioqui posset loca quædam ad se pertrahere & occupare, quæ Nobiles vendere nollent: proinde per hanc constitutionem huic rei a proceribus Regni optime prouisum est. Licet tamẽ Regi permutare bona cum Nobilibus. Ecõtra Nobilibus non licet vlla bona à Regijs emere rusticis. Nam aliqui rustici habent bona hæreditaria, & fere libera, vt antea dictũ est.

Nobilium apud Danos familiarum nomina. Pręcipuarum vero familiarum nobilium quę in Dania inueniuntur, nomina fere sunt: Kaas, Guldenstern, Munk, Rosenkrantz, Grabbe, VValkendorp, Brahe, Schram, Passberg, Hardenberg, Vlstand, Bing, Belou, Vipsert, Gore, Sehefeld, Ranzou, Schelen, Friese, Iud, Bilde, Dresselberch, Green, Brockenhausen, Holke, Trolle, Knuten, Biorn, Sehestede, Iensen, Stuege, Mattiessen, Lunge, Geleschut, Glambeke, Banner, Luck, Rastorp, Krusen, Fassi, Linderman, Suon, Santbeke, Quitrou, Lange, Crabbe, Marizer, Cragge, Achsel, Beck, Rutstede, Negel, Vvitfeld, Splitlof, Appelgard, Iuenam, Podessen, Reutter, Podenbusch, qui fuerunt quondam Barones ex Ducatu Pomeraniæ, quorum familia adhuc ibi inuenitur, Vren, qui vixerũt

tempore

tempore Caroli Magni, Bilck, Galle, Vogerſen, Baſſi, Solle Daac, Bax, Baſelich, Venſterman, Hoken, Lindou, Bille, Rutē, Hundertmark, Heiderſtorper, Volde, Papenheim, Spar, Falſter, Narbu, Vorm, Bilde, Bockholt Budde, Suaben, Santberch, Gram, Lutken, Vhrup, Spegel, Bammelberg, Roſenſpart, Duue, Hube, Schaugard, Muſt, Gris, Falke, Brune, Laxman, Duram, Baggen, Norman, Goſs, Matre, Roſengard, Totten, Ronnou, Krumpen, &c.

E Nobilitate eligitur aulæ Magiſter ſiue præfectus. Hoc officium fere tale eſt cuiusmodi Maior domus in Gallia. Is enim plerumque reſidet Hafniæ, tanquam Vicarius Regius, & dirigit res à Rege ad ſe deſtinatas. *Magiſter aulæ.*

Deinde Mariſcalcus tempore belli & pacis ea quæ ad expeditiones pertinent procurat. Admiralius naues ædificat, veteres reſtaurat, & ſingulis annis ea ordinat, quæ ad tutandum Oceanum & res nauticas ſpectāt. Habet & is ſub ſe conſtitutum alium Admiralium, & in ſingulis nauibus præfectum, equeſtri genere prognatum. *Mariſcalcus* *Admiralius*

Ad Cancellarium Regni ex omnibus prouincijs & inſulis prouocare licet; à quo ad Regē & Senatum Regni viciſſim appellatio deuoluitur. *Cancellarius*

Singulæ prouinciæ diuiſæ ſunt in HAERET ſiue Prȩfecturas, aut dioeceſes ſub quibus multæ ſunt parochiæ. Ibi primum *Hæret ſiue Præfecturæ.*

de iure disputant, si fore inter aliquos controuersiæ fuerint ortæ. Hinc licet appellare ad Iudicem terræ istius; deinde ad Cancellarium; postremo ad Regem & Regni Senatores, vbi finalis sententia fertur & promulgatur. Habent ius scriptum, compilatum à Voldemaro primo Episcopis & Senatoribus, legi naturæ valde congruum, & non multum à Romanis legibus discrepans, cuius tamen vigore & simplicitate lites citius decidi possunt, lataque sententia paratam habet exsequutionem. Primo iudices si iniquam tulerint sententiam, in dimidiam partem bonorum condemnantur, quorum Rex vnam capit semissem, & læsus iniusta sententia alteram. Senatoribus adhibuit Voldemarus primus (ni fallor) Episcopos, quos rursus Christianus III. propter certas caussas ac rebellonem Senatu amouit.

Cancellarius regis.

Cancellarius Regis, qui plerumque in aula Regm sequitur, habet sibi adiunctos VII. vel III. nobiles Secretarios & scribas; omna vero negotia tractantur à Rege ipso. Si autem aliquid magni accidat, vt si de pace aut bello, de federibus ineundis, de finibus defendendis, &, sit deliberandum, Concilium Senatorum à Rege indicitur Nec licet Regi vllum tributum imponere Regno ac Nobilium rusticis, absque consensu Senatorum & Procerum.

Ærarij item præfectus, omnes totius Regni redi-

ni reditus, tam castrorum quam prædiorum necnon vectigalia tam in mari quam in terra colligit & asseruat, rationes audit, examinat, inquirit, acceptilationes pecuniam soluentibus reddit. Hic habet adiunctos duos ex Nobilitate, & scribas multos è plebe; qui omnes annuum habent stipendium.

Aerarij præfectus.

Tertius est status Ecclesiasticus, in quo fuerunt Episcopi septem, vt Archiepiscopus Lundensis, Episcopus Rotschildiensis, Ripensis, Otoniensis, Viburgensis, Arhusensis & Slesuicēsis: ad quem ceteri etiam Canonici referuntur. Hi habent decimas in regno: quæ tamen in diuersis prouinciis, diuerso modo diuiduntur. semissem enim decimarum percipiuut Episcopi, semissem Rex, aliquam partem Canonici, Pastores, &c. pars etiam ad ædificanda templa confertur. Et quantum ad Pontificium ius attinet, semper in hoc regno, quemadmodum etiam in Gallia, nominationes & ordinationes Prælaturarum Episcopatuumque, à Regibus ad hoc vsque tempus collatæ fuerunt, vt etiam ex responso Voldemari I. vt opinor, Daniæ Regis, quod hic annectere libuit, constat. Quum enim Pontifex Romanus à Rege hæc & similia postularet, fertur rescripsisse Rex: *Regnum habemus à subditis, vitam à parentibus, religionem à Romana Ecclesia: quam si repetis remitto per præsentes.* Et quemadmodum nōnullis (iure an iniuria non disputo) Caroli

Tertius status Ecclesiasticorum.

V. decretum vt prudens laudatur, ne in posterum Ecclesiasticis personis in Belgio vllam rem immobilem coemere liceret sine Principis consensu: sic Christianus III. non minus prudenter constituit, ne Ecclesiastici aliquid vendãt absque expresso Regis mandato. Alioqui id genus hominibus in toto regno optime prouisum est à Christiano III. & Scholæ in multis locis erectæ, & duæ in vltima Islandia, vbi etiam propriam habent typographiam. Vna tantum est in toto regno Academia, Hafniæ scilicet, quæ fundata est à Christierno I. permissu Sixti Pontificis, Anno Christi MCDLXXVIII. quam Fridericus II. quamuis bello Suecico septennali implicitus, locupletauit, & eius prouentus sexaginta thalerorum millibus auxit.

Academia Hafniensis.

Quartus Status est Ciuium & Mercatorũ, in vrbibus & oppidulis habitantium. Hi sua quoque habent priuilegia, quibus fruuntur, & his attributi sunt agri proprij, & syluæ certis limitibus circumscriptæ. Mercaturam exercent satis copiosam, tam terra quam mari, in omnibus partibus Europæ. Ex his, quemadmodum etiam ex rusticorum liberis, eliguntur Episcopi, Canonici, Pastores, Senatores oppidani, Scribæ in castris & arcibus, magistri ac gubernatores nauium: aliqui etiam vectigalibus alijsque percipiendis reditibus præficiuntur. Iudicia omnia inferiora

Quartus status Mercatorum.

riora

riora ex his constituuntur, præside interdū vno ex Nobilitate.

Quintus status Rusticorum horum duo sunt genera, Primum vocant *Freibunden*, id est liberos Colonos. Hi possident agros hereditarios; paullulum tamen inde singulis pendunt annis. Hi etiam mercaturam & piscaturam exercent. Seruitijs præstandis non opprimuntur, nec tributa pendunt, nisi consentientibus Regni Senatoribus. Alterum genus est eorum, qui non possident bona hæreditaria, sed à Rege, Nobilibus, aut Ecclesiasticis ea conducunt, & seruitia multa inde dominis præstare coguntur, prout cum agri domino conuenerunt. *Quintus Rusticorum.*

Hæc fere sunt quæ de Politia Danica cōperta nobis, & hoc loco exponenda visa sunt; ex quibus patet Monarchiam siue Regnum Danicum iam ab antiquis vsque temporibus optime fuisse constitutum, & penes Nobilitatem, liberam Regis electionem semper fuisse, attamen ex Regia familia, vt antea dictum est, plerumque, immo fere semper, nisi summa necessitate aliud imperante, Reges sibi petijsse: vnde hoc commodi Dania cōsequuta est, vt nulla intestina habuerit bella ac dissensiones, nisi quæ ortæ fuerunt inter Regiam familiam, quæ tamen Nobilitatis interuentu, cito sunt compositæ, præsertim quum Regum filij nullam capiant regni partem.

Deinde quum omnes ſint tantum Nobiles in Regno, & Baronum, Comitum Ducũque nomina & titulos ignorent, nullus tantis pollet opibus, vt ijs confiſus, Regi aut Regis familiæ ſeſe opponere audeat, eo quod inter filios & filias ſemper paterna hæreditas diuidatur.

In Dania ſumma dignitas eſt Equitum, quos ab ornamentis quæ illis tribuuntur, Auratos vocant. ſed illa nemini niſi tempore pacis & belli bene de Republica merito confertur.

Ita habent Daniæ Reges optime florentẽ Rempublicam, quæ facile contra exteros hoſtes defendi poteſt, quũ ſubditi vnanimes cum Rege vt naturali ſuo domino, terra marique hoſtibus reſiſtere queant.

THE-

THESAVRI POLITICI APOTELESMA LI.

Quod est Politici Status apud Lucenses DESCRIPTIO.

LVca Hetruriæ vrbs est nobilissima, à Lucomone Hetrusco, vt quidam volunt, dicta. Strabo libro V. Lucam Lunæ montibus vicinam ponit. hodie certe regio illa adhuc Lunigiana vulgo vocatur, bellicosis hominibus habitata. Porro Lucensis ciuitatis ambitus duo milliaria Italica complectitur; hominum XXIV. millia in ea numerari dicuntur. Familiæ ibi sunt opulentissimæ, mercaturam pleræque exercentes, inprimis serici panni, cuius conficiendi artem ciues à Castrutio Castricano tyrannide oppressi, relicta ciuitate, Florentiam & ad alias Italiæ vrbes pertulerunt. Incolę humani sunt & sinceri. Lingua vtuntur præ ceteris Hetrurię oppidis magis eleganti, & molestis illis accentibus purgata. Sola ex omnibus ciuitatibus, quamuis parua, libertatem tuetur. Politici status fundamentum Senatus est à quo reliqui omnes Magistratus ordinantur. Hic tribus hominum generibus constat. Alij enim ordinarij *Lucæ descriptio.* *Senatus sua consilium.*

sunt

sunt Senatores, eamque dignitatem per annum tenent: alij extraordinarij, qui prout visum Senatui fuerit, assumuntur: alij in mortuorum, locum sunt surrogati, quorum itidem munus est annuum. Senatores in vniuersum sunt centum & sexaginta; sed vtplurimum ordinarij sunt tantum centum & viginti.

Ciuitas vniuersa in tres partes distributa est. Prima S. Saluatoris, secunda S. Paulini, tertia S Mauritij vocatur. Ex his Senatus supremum Magistratum, quem Signoriam vocant, eligit, ternos scilicet è singulis partibus, quibus additur Confalonerius, id est, vexillifer, Reipublicæ caput, qui per vices modo ex hoc, altero anno ex altera, tertio ex tertia, & sic rùrsus à prima facto initio, sumitur.

Confalonerius.

Decem hi tertio quoque anno eliguntur, & Confalonerio excepto, Antiani vocantur. Fit autem electio hoc modo. Tres, pro partium ciuitatis numero, viri ad numeranda suffragia deputantur, quos Assortatores nominant. Inde Senatus quibusdam Confalonerij eligendi dat negocium. Electioni vero Assortatores assistunt, & suffragia numerant, vsque ad CLXXX. quorum numerus præterquam illis, nemini est cognitus. ne quid vero fraudis ab eis committatur, duo monachi eis adiunguntur, vnus è S. Dominici, alter è S. Francisci familia. Assortatores magistra-

magistratus certis hominibus mandandi habent potestatem, hoc scilicet modo: vt Caius hoc mense huic officio, Næuius illo mēse alteri præsit,&c. Et deputatio hæc in secreto fit, nec cuiquam sub graui pœna licet eam reuelare. Porro magistratus siue Signoria in Palatio semper se continet, & publicis sumtibus alitur, neque inde nisi capitis pœnam incurrere velint, discedere eis licet. E decemuiris Commendator eligitur per vices, cuius munus per tres annos durat. Is ceteris, adeoque ipsi Confalonerio imperandi, & solus ad Collegium referendi, non tamen sine eius assensu quidquam statuendi habet potestatem. Rem à Commendatore collegis propositam & probatam, Confalonerius inde Senatui proponit. Et illorum quidem imperium ad exteros tantum pertinet, non ad ciues; & referendi, nihil tamen decernendi, vt diximus, habent potestatem.

Secretariorum, qui tres sunt, officium ad Maiestatis crimen tantum extenditur: in quo ipso Confalonerio sunt superiores, nec tamen sine eo quidquam facere possunt. Etsi autem prius ad Consilium quod facturi sunt referre teneantur, fit tamen sæpe, necessitate scilicet ita exigente, vt factum anticipent, & postmodum rationem eius apud Senatum reddant. *Secretarij.*

Consilium Colloquij, vt vocant, constat XIII. viris è Senatu electis. Hi in rebus intricatis *Colloquium.*

tricatis & dubijs, de ijs quæ in Senatu proponenda sunt disceptant, & dictis sententijs, cum x. viris siue Signoria, quid faciendum sit, deliberant.

Quæstores. Sexvirorum Collegio publicorum redituum & ærarij cura commissa est. E Maiori Consilio eliguntur, & ministrum qui decreta ipsorum exsequatur, habent, Camerlingum, quasi Camerarium, dictum.

Rota. Rota (magistratus plerisque Italiæ vrbibus notus) tribus constat Iurisconsultis, quorum patria quinquaginta ab vrbe miliaribus absit. Vnus titulum habet Potestatis: alter Iudex est maleficiorum: tertius caussarum ciuilium; ita vt vnoquoque semestri inter se officia permutent. Si Potestas ciuem aliquem in manu non habeat, sententiam suam scriptam Consilio tradit, quod illam vel approbat vel refutat. De peregrinis vero solus Potestas sine aliorum interuentu, iudicat. Breuiter, omnes res Ciuiles à tribus his viris tractantur.

Aula mercatorum. Aula mercatorum nouem constat viris, ternis scilicet è singulis vrbis partibus electis. Ab his res ad mercaturam pertinentes disceptantur; & delinquentes etiam capite multantur. Iurisconsultum habent extraneum, tanquam iudicem.

Abundantiæ Officium nouem itidem viros habet, pari ratione electos. Horum est ea omnia quæ ad victum & alimoniam pertinent,

tinent, prouidere.

Sunt & alij qui reliquarum rerum ad munitionem ſpectantium, eorumque locorum vbi illæ aſſeruantur, curam habent.

Itemque alij ſex Commiſſarij dicti, qui rem militarem procurant, & continuo militum aliquem numerum in armis exercent.

Nec non tres alij, qui Sanitatis curatores dicuntur. Horum eſt operam dare, vt ſordes, immunditiæ, cibi noxij & corrupti, & ea omnia quæ ſanitati nocent, quantum fieri poteſt, amoueantur.

Porro ad maleficijs & ſceleribus pugnandam ciuitatem, Lucenſes Conſilium habent, quod Diſcolorum appellant. Modus ſuffragia ferendi talis eſt.

Septimana illa proxima ante Paſcha, quæ Sancta dicitur, qui in hoc conſilio ſunt, certo quodam loco congregantur. Ex ijs vnusquisque ſcedulam in qua nomen eius quem ille pro homine flagitioſo & ciuitate indigno habet, ſcriptum eſt, in arcam ad id præparatam immittit. Quo facto, ſcedulæ promuntur: ac ſi forte alicuius nomen aliquoties iteratum legatur, res ad Maius Conſilium refertur, ibique rurſus ſuffragia ineuntur: quorum duæ partes ſi nominato illi aduerſentur, is talis pro homine nefario & ciuitate indigno iudicatur, ſtatimque exſulare eo adhuc veſpere publica præconis voce iubetur. Proſcriptionis vero hic modus eſt, vt

Proſcriptionis modus.

intra

intra triennium quinquaginta milliaribus ab vrbe absit: cui si contrauenerit, capitis pœnam incurrit. Finito triennio si is reuersus vitam non emendarit, rursus eodem modo in exilium pellitur. Hæc pœna non multum absimilis est Atheniensium ostracismo.

Sunt etiam octoviri qui diuersoria & hospites diligenter obseruant & examinant, præsertim in mendacijs deprehensos.

Præsidiarij. Ab vrbano magistratu centum milites extranei, quorum patria L. milliaribus ab vrbe absit, conducuntur: quibus tamen capitale est muros noctu conscendere, quorum custodia ciuibus commissa est, addito menstruo trium scutatorum stipendio. In singulis portis bini Commissarij presidio adsunt, quorum vnus ante, alter post meridiem quæ necessaria sunt curat.

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA LII.

Quod est

POLITIAE APVD GENUATES DESCRIPTIO.

TOtius Liguriæ tam antiquitate quã potẽtiâ, nobilissima vrbs est Genua, vt quæ dictæ regionis maiori parti iá diu imperarit. Vrbs ipsa non ædificiorum tantum tam publicorum quam priuatorũ splendore, verum etiam ciuium multitudine & industria, nulli pæne in Italia cedit. Litori maris Ligustici meridiem versus adiacet: à Septentrione vero leniter velut è cliuo quodam descendit; ita vt partim in plano, partim in alto sit posita. Ambitus eius sex milliaria Italica complectitur, situ adeo vndique amœno, vt nihil omnino *Genuæ descriptio.*

amœnius desiderari possit. De origine eius multa, sed pleraque fabulis non absimilia, circumferuntur. Dicunt alij, nomen & originem habere à Iano Saturni filio; alij à Gemino Phaetontis socio; alij à Iano, qui Noe fuerit. Id constat, ducentis & nonaginta annis ante Christum natum memoriam eius exstitisse, vt è tabula quadam ænea, in valle Porcifera ante annos aliquot reperta, & in templo S. Laurentij collocata, apparet: vbi antiquis litteris scriptum legitur, Lucio Cæcilio & Quinto Minutio Consulibus, legatos à populo Romano missos esse, qui cõtrouersias inter Viturios & Genuates de nuates de finibus ortas, disceptarent & deciderent, &c.

Porro Vrbs hæc superioribus aliquot sæculis longe lateq; imperauit; maritimis quidem viribus adeo potens fuit, vt totius Italiæ fere potentissima sit habita. Variam tamen fortunã semper experta est, modo ab Insubrię Ducibus, modo Gallorum armis vexata. Præterquã enim quod ciuitas hæc opulentissima est, tã cõmodo etiã loco est posita, vt quasi porta sit transalpinis nationibus in Italiã descẽdere volentibus. Ciues industria nulli nationi cędunt. pleriq; mercaturã exercent adeo copiosam ac quęstuosam, vt cõplures priuatorũ opes sint supergressi, ac Principibus eo in genere fere pares sint. Reperiũtur enim non pauci, quorũ facultates quinquies centena ducatorum

Genua vexata.

milia

millia excedunt. pecuniæ certe signatæ vix vspiã maior est abundãtia. His confisi opibus, plurimas inter se factiones fere semper aluerũt. dũ alter alterum imperio depellere studuit; sed nobiles inprimis sunt Adorniorũ & Fregosiorũ familiæ, quæ de vrbis imperio sæpe contenderuna. In hanc vero qua iã fruuntur libertatẽ Andreæ Auriæ beneficio restituti sunt, qui se simul & patriam è Gallorũ seruitute vindicauit, raro sane nõ fortitudinis tantùm, verũ etiam modestiæ exẽplo. Quum enim facile imperiũ sibi vindicare posset, maluit optimus & æterna memoria dignissimus vir, patriam liberã quã se in summo honoris gradu collocatum videre: etsi nescio, an cuiquam maior honor quã hic ipse contingere possit. Alterum huius ciuitatis lumen & decus fuit Christophorus Columbus, is qui Nouum illũ orbẽ primus nobis detexit: quamuis si vere & recte iudicare volumus, huius factũ ad illius præstantiam non accedat. Recte ergo Genuates, qui optimè de patria merito seni statuam in publico posuerũt. Sed iam tempus est, vt Reipublicæ illius formam paucis describamus.

Andreas Auria.

Vrbe in libertatẽ an. 1528. restituta, insigniores tã Nobiliũ quã Plebeiorũ familię, quę senas quidẽ in vrbe apertas domos possiderent, descriptę sunt. Horũ repertę fuerunt duodetriginta: reliquæ omnes quæ quidem ipsæ quoq; alicuius nominis & auctoritatis

Familiæ XXVIII. nobiles.

erant, non tamen ſenas ædes apertas habebant, prædictis familijs aſcriptæ ſunt. Sic ergo imperium vrbis in harum XXVIII. familiarum manus deuenit, ſub Nobilitatis titulo, excluſo populo & plebe, &c.

CONSILIVM MAIVS.

Conſilium Maius.

E Prædictis familijs Conſilium cogitur quadringentorũ virorum, qui vnà cum Duce & reliquis Gubernatoribus, ſummam Reipublicæ adminiſtrant. Conſilium hoc à Duce & Gubernatoribus eligitur: qui octo ſunt, & per biennium continuo Reipublicæ negocia tractant. Ad hoc Conſilium res arduæ, & quæ ad Status incolumitatem & ſalutem pertinent, referũtur. Speciatim vero Dux & dicti illi octo Gubernatores Italica voce La Signoria (id eſt, Dominatus) dicuntur. Quod ſi res aliquæ non maximi, alicuius tamen momenti inciderint; Conſilium Minus, in quo centũ ſunt Nobiles, ſuffragijs Ducis & Gubernatorum è quadringentis illis electi, Maiori illi ſuccenturiatur.

DVX.

Dux.

REipublicæ vniuerſæ apud Genuates caput & Princeps, Dux appellatur, cui & titulus & omnes honores ad eiuſmodi dignitatem pertinentes, tribuuntur. Antiquus

quus hic honoris & ſummus iam olim gradus apud Genuates fuit. Imperium binos annos continuos tenet, quibus in publico habitat Vrbis Palatio, quingentis Germanis ſatellitibus regium in morem ſtipatus, adeo vt abſoluti ac veri Principatus ſpeciē habeat. Primis duobus ab inito magiſtratu diebus, Ducalibus vtitur veſtibus & ornamentis: toto vero reliquo tempore deinceps priuati in modum, magnificè tamen & ſumptuoſe, veſtitur. Auctoritas eius magna eſt. ſolus enim quiduis ad Senatum ſiue Conſilium referendi & ad deliberandum proponendi poteſtatem habet; quod nemini reliquorum Senatorum licet: eoque omnia ab ipſo prius tractentur neceſſe eſt. Eligendi Ducis ratio hæc ſeruatur. Tertio die Ianuarij, Conſilium Maius & Minus congregantur: quibus is qui præcedentibus annis Dux fuit, non intereſt. elapſo enim biennio, is Calendis Ianuarij domum ſuam ſeſe abdit, & tamquam priuatus aliquis, tota vita Procuratori tantum audit. Ex vtroque horum viginti octo Nobiles, ſinguli ſcilicet ex vnaquaque familia, eliguntur; electi in Palatij quodam loco includuntur, & vnà cum illis Senatoribus, qui aut per ætatem, aut familiæ contumaciam ad Ducalem dignitatem non ſunt habiles, octodecim è ſuorum numero, non tamen plures vno ex vna familia, eligunt: qui octodecim

rursus alios viginti octo eligunt, qui vnà cum predictis Senatoribus eos quos Maiori Consilio ad Ducalem dignitatem euehendos proponere volunt, legunt. Sed hic notandum est, Maiori Consilio plures quam quatuor proponi non posse: & in electione necesse est, vt viginti octo illi viri cũ prędictis Senatoribus in duas partes consentiant. Hoc actu finito, priusquam conclaui egrediantur, ijdem alios viginti octo, è singulis familijs vnum, eligunt; qui simul de quatuor illis suffragia ferunt, & è sua electione duas tertias remouere, & in locum eorum qui reprobati fuerint, vnum aut plures, qui tamẽ Senatores sint, substituere possunt. His peractis, Consilium siue Senatus conuocatur, & quatuor illi proponuntur: & qui plura suffragia tulerit, Princeps siue Dux creatur.

OCTO GVBERNATORES.

DVci assident octo Gubernatores, velut Consiliarij. Horum officium itidé binos durat annos: ac proprie, vti diximus, vnà cũ Duce, Signoriæ siue supremi magistratus nomen & dignitatem tuentur. Penes hos quidem est Reipublicæ administrandæ munus: nullam tamen rem maioris momenti & quæ ad cõmunem spectat salutem, soli tractare possunt, sed eiusmodi omnia ad Maius Consilium referuntur. Bini

senis

senis mẽsibus eliguntur, hoc modo. Minus Consilium vnà cum Senatu & Duce viginti octo è singulis familijs vnũ eligunt: cum Senatu & Duce nonnunquã duodecim, interdum quatuordecim viros Maiori Consilio proponunt, cuius deinde suffragijs vnus tantum ex illorũ numero ad hanc dignitatem assumitur. Sequenti die idẽ modus in secundo eligẽdo rursum obseruatur. Finito biennio, singuli horum Gubernatorũ procuratorum collegio accensentur, inque eo per biennium manent, ita vt in iam dicto Procuratorũ collegio semper octo reperiantur qui præcipua Reipublicæ negocia tractarint Hi omnes in Senatũ vna cum Duce & octo Gubernatoribus, veniunt, quãdo de grauibus rebus deliberatur: exq; ijs duo cum Duce in publico Palatio, sex vero reliqui domi suę habitant, sic vt tertio quoq; mense illi qui cum Duce sunt, inter se permutentur.

PROCVRATORES.

PRocuratorũ aliqui perpetui sunt, vt illi qui Ducali dignitate perfuncti sunt; aliqui vero biennium tantum muneris hoc administrãt, illi scilicet qui Gubernatores fuerunt. Horũ magna est dignitas atq; auctoritas, adeo vt sine eorum consilijs vix quidquam paullo grauius administretur aut dicernatur. Publica negocia tractant, vt sunt reditus ciuitatis & alia eiusmodi.

POTESTAS.

Potestas eiusque munus.

QVos hactenus recensuimus Magistratus, Republica tãtum administranda occupantur. Iam quod ad iudicia, & primũ quæ Criminalia dicuntur, attinet, communiter Doctor aliquis siue Iuriscõsultus exteræ nationis, quem Potestatem vocant, annuo stipendio conducitur. Hic sedem habet in palatio quodam quod Ducali vicinum est; & de criminibus ac sceleribus cognoscit; nec tamen absque Senatus consensu capitis pœnam in quoquam exsequi potest. Ei alij duo extranei Iurisconsulti adiuncti sunt, quorum vnus Maleficiorum, alter Fiscalis Iudex nuncupatur. Ab his iudicia contra reos cõstituuntur, processus & alia quæ ad iudiciarium spectant ordinem, formantur. Præter hos Potestas vicarium habet, qui de ciuilibus caussis, quoad exsequutionem tantum, cognoscit.

EXTRAORDINARII.

VII. viri Extraordinarij.

APud Genuates collegium quoque est Septẽvirûm, qui *Extraordinarij* dicũtur. Hi Principis personã quasi repræsentãt, vt qui in Republica administranda sint occupati. Munus eorũ est, lites finire aut prolongare, pupillis tutores dare, & de controuersijs inter cognatos, aut inter diuites & pauperes ortis, cognoscere. Officium hoc semestre

ſemeſtre eſt, & multum habet dignitatis.

QVINQVE SVPREMI.

ALius præterea apud eoſdem Magiſtratus eſt, in quo quinque ſunt viri, qui *ſupremi Syndicatores* vulgo dicuntur. Horum partes ſunt tam in Ducem quam Gubernatores, ac ceteros omnes magiſtratus finitis ipſorũ officijs, inquirere, quod *Syndicare* Itali vocant, & in male adminiſtratæ Reipublicæ reos animaduertere. Vbi enim magiſtratus ab Officio diſceſſerint, Quinque hi viri promulgari ſiue proclamari iubent, vt ſi quis contra Ducem, Gubernatores, &c. actionem aliquam inſtituere velit, coram ſe compareat, actionem in eum vel eos daturis, ac iuſtitiam ſine vllo reſpectu adminiſtraturis. Et hanc quidem ob cauſſam octo continuo dies eiuſmodi cauſſis contra Ducem & Gubernatores cognoſcendis deputati ſunt: quorum aliquis ſi reus deprehenſus fuerit, punitur; ſi non, publicum ei innocentiæ datur teſtimonium, & ſic in Procuratorum collegiũ is cooptatur. Præterea ad hos à multis alijs Reipublicæ magiſtratibus prouocationes fiunt. Dignitas denique huius officij tanta eſt, vt Genuates optimum Principem & patriæ liberatorem Andream Auriam hoc præcipue honore cohoneſtandum ſibi putarint

Syndicatores.

tarint, dum ei primum inter Syndicatores locum tribuerunt.

ROTA.

Rotæ Officium.

AD Ciuiles caussas siue controuersias & iudicia quod attinet, conducunt Genuates secundo quoque anno quinque Doctores siue Iurisconsultos extraneos; quorum collegium *Rota* nominatur: Hi ciuilibus caussis cognoscendis vacant, & in palatio apud Ducem habitant. Lites secundũ ius scriptum Imperiale disceptant & dijudicant; ordinem vero iudiciorum certũ à ciuitate iam olim pręscriptum & antiquitus vsurpatum, obseruant.

CENSORES,

Censorum munus.

EOrum quæ arte aut manu fiunt cura Censoribus commissa est Horum est prouidere vt omnis iniustitia inter ementes & vendentes, & alios qui mercaturã vel artem aliquam manuariam tractant, præcaueatur, vt omnibus debito pondere & mensura mercimonia ministrentur. Habent vero eiusmodi Artificũ & mercatorum collegia superiores quosdam, *Consules* dictos, quorum magna est auctoritas, eorũ præsertim qui pannos sericos tractant, adeo vt sui ordinis homines ciuitate expellendi, ad remos damnandi, & alijs modis pro delicti ratione, puniendi, habeant potestatem.

QVA-

QVADRAGINTA CAPITANEI.

GEnuæ Quadraginta etiam sunt Capitanei, è Nobilium numero delecti, qui singulis annis permutantur. Hi sub se habent centenos è populo, sic vt in vniuersum quatuor millia efficiantur: quorum est periculosis temporibus pro Republica excubare, & presidium agitare. Quoties vero supremus Magistratus prodit, quadraginta hi Capitanei, magnifice omnes vestiti, honoris eum caussa comitantur. Sed preter has Centurias ciues vniuersi sub certis signis, & Capitaneis descripti & distributi sunt, ij scilicet qui intra vigesimum & sexagesimum ætatis annum sunt constituti. *Capitanei.*

GENERALIS MILITIAE *Præfectus.*

HAbet præterea Respublica hæc Generalem, vt vocant, militiæ Præfectũ, cui reliqui Capitanei subsunt: vt eius operam belli tempore semper habeant paratam.

MAGISTRATVS SANgeorgianus.

MVnus hoc nobilissimũ an. CXLVII institutum fuit, cui etiam Respublica illa magnam suæ incolumitatis partẽ debet. Quãuis enim Genuẽsiũ ciuitas in sterili fere solo sita sit, & opib⁹ ibi genitis parũ abun-

abundet: magiſtratibus tamen nunquam ad Reipublicæ ſubleuandas neceſſitates, & conficiendam pecuniam rationes defuerunt, quam ij qui ad clauum Reipublicæ ſederunt, à priuatis hominibus vel inuitis vel volentibus, mutuo ſumſerunt, ſine tamen ipſorum damno, quippe grauibus vſuris, pro temporis conditione & varietate perſolutis, ne ſcilicet qui publicam rem ſuis facultatibus iuuarent, priuatim detrimentum paterentur.

Compræ ſiue Cameræ rationales apud Genuenſes.

Quo vero ad erogandam Reipublicæ pecuniam ciues alacriores redderẽtur, creditoribus, aſſignatis certis hypothecis & redditibus, è frumenti, vini aut aliarum rerum vectigalibus, &c. cauebatur. Et hic quaſi Reipublicæ cum priuatis hominibus contractus, *Compera* dicebatur, additumque vt qui centum libras mutuo dediſſet, in hac velut ſocietate vnum locum, qui ducẽtas, duos locos teneret, & ſic deinceps: adeo vt Comperæ ſiue ſocietates eiuſmodi valde multiplicatæ fuerint, quarũ aliæ dicebantur Capituli, aliæ S. Pauli, aliæ Salis, &c. Harum vnaquæque à ciuibus quibuſdam adminiſtrabatur, quorum erat operam dare, vt creditoribus recte ſatisfieret, & rationes inter hos & Rempubicam iuſte ſeruarentur. Quum vero, vt fieri ſolet, è multitudine magna nata eſſet confuſio, decretũ fuit vt omnes in vnum corpus redigerentur, cui

tur, cui Compræ siue Cameræ à D. Georgio nomen inditum, eiusque cura quibusdã itidem ciuibus commissa est; qui quum singulari industria & prudentia munus sibi iniunctum administrarent, publicæ vero necessitates magnos requirerent sumtus, Locariorum (sic enim supra diximus, nominari eos qui in hanc societatem admittuntur) numerus valdè creuit, adeo vt oppignerata magna publicorũ redituũ parte, Officij huius curæ & negocia mirũ in modum aucta sint, & oppida etiam & territoria eius dictioni accesserint. Inde factum, vt Societas hæc primum ab ipsa Republica, deinde à Pontificibus, Imperatoribus & alijs ciuitatis dominis multa priuilegia impetrarit, sic vt quamuis hoc Officium ab ipsa Republica & ijs qui Palatium gubernant, dependeat, nihilominus tamen vrbano magistratui subiecta non sit, sed omnes etiam qui partem aliquam Reipublicæ capessunt eius priuilegia inuiolata se seruaturos promittere & iurare cogantur. Vt vero in alijs fere rebus principia valde tenuia sunt & contemta, temporis vero successu paullatim ad perfectionem contendunt; ita in hoc quoque Officio siue magistratu accidit, cuius hodie multo melior & perfectior est forma quam olim fuit. Quantum enim ad comparationem vtilitatis siue emolumenti à Locatario percipiẽdi attinet,

Splendor & libertas huius Officij.

non

non iam certum quid est pręfinitũ aut determinatum, vt olim, sed pro ratione reditus & sumtuum, itemq; ad conseruationem earũ rerum quarũ cura Officio huic commissa est, & prout vectigalia fructuosa fuerint vel minus, omnia diriguntur. quin etiam ipsa redituum percipiendorum quæ hodie in vsu ratio, multo securior est & ad conscientiam accõmodatior: præterquam quod, vt diximus, hac ratione dominia aliquot & territoria ei sũt acquisita, ad quorũ faciliorem administrationem nouas regulas & nouas leges condere oportuit. Huius quidem Officij siue magistratus respectu Genuensium ciuitas in duas quasi Communitates diuidi potest: quarum prima Maior est, & ab ijs qui in Palatio ius dicunt, gubernatur, & integram fere ciuitatem comprehendit. Altera Parua est, cui Sangeorgianus magistratus pręest, & ad Locatarios siue redituũ participes spectat. Illa quidẽ multis mutationibus obnoxia & tyrannicũ imperium nonnunquam experta est; hæc vero libera semper, & ad certos ciues adstricta, ac proinde firma fuit.

Octo Protectores S. Georgij.

Protectores S. Georgij quomodo eligantur.

PORRO huic Officio siue magistratui octo viri pręsunt, qui Protectores vulgo dicũtur, eorũ munus anuũ est eliguntur vero sexto quoq; mẽse quatuor viri ex omni Locatariorũ siue creditorũ numero, sic tamẽ vt credita pecunia ad certam & præfinitam

nitam ascendat summam. Eliguntur autem hoc modo. Ex omni illo numero octoginta viri sorte ducuntur; hi statim è suo numero triginta quatuor item sorte ducunt, quibus conclaui egredi non licet, nisi octo prius illis protectoribus electis; necesse vero est vt eorum singuli decẽ suffragia vel puncta ferant.

Anno MCDXLIV. aliud Officium S. Georgij in quo octo fuerunt viri, constitutum est, quod ab anno institutionis hódieq; nomen habet, & Officium XLIV. scilicet anni, vocatur. Caussa vero ob quam institutum illud fuerit, hæc fertur. Quum Officium sæpedictum triginta septem annorũ spacio valde esset auctũ, adeo vt octo illi Protectores negocijs tractandis nõ sufficerent, nec intra annum vertenté ea possent expedire quę ad cõficiendã pecuniam & promouenda emolumenta spectarent: creditoribus necessarium visum est, ad Reliqua hæc bono ordine cõseruanda (in quibus maxime huius Officij opes cõsistũt) aliquot eligere qui earum rerum curam gererẽt, & in õnibus Sangeorgiarię Societatis vtilitatẽ promouerẽt, omnia vero ita occulte administrarẽt, ne tyrãnis eũ tollendi daretur occasio. Et hoc quidẽ modo octo viri illi electi sunt, è quib. bini quoq; anno permutãtur. Horũ est colligere & administrare ea quæ ex annuis prouentibus, quorũ cũra octo Protectoribus cõcredita est, reliquã fiunt.

Officium

Officium hoc Corsicam insulam, aliasque nonnullas ciuitates & loca sub suo habet imperio, & omnes ad eorum conseruationem necessarios sumtus facit, &c.

THESAVRI POLITICI

APOTELESMA LIII.

Quod est

DE MORTE GVISII Ducis

RELATIO.

Guisius ad necem pertrahitur.

DIe XXIII. mensis ..... anno MDLXXXVIII. Rex Christianissimus hora quinta matutina essedũ conscendit, ad venationenem profecturus. Guisius qui in arce hospitium habebat, mane itidem, pro more suo, surrexerat, & hora sexta sacellum audiendi sacri caussa ingressurus, quum id clausum reperisset, genu ante portam innixus, preces sibi solitas recitauit: quibus finitis, in atrium vbi

vbi Consilium haberi solet, se contulit. Quum autem non multo post è Consiliarijs aliquot venissent, & Secretarius ad Regem dictum Ducem accersisset, Guisius rectà ad regis conclaue perrexit, sed ingressum subito sedecim homines, lateris Regij stipatores circumsistunt, è quibus duo, strictis pugionibus gulam statim dicti Ducis (metuebant enim ne armis tectus esset) petierunt, alius vero bipenni,& alij gladijs ventrem ei perfoderunt. In terram inde prolapsum pedibus arripuerunt, è conclaui eum extracturi: quũ vero Rex prospiciens, eum adhuc spirare audisset, Propere, inquit, mortem ei adferte. Tum nobilis quidam alius superueniens, Ducem monuit, vt animam suam Deo commendaret: ad quam vocem leuatis ille manibus & oculis ad cœlum, & pectore cruce signato, animam Deo reddidit.

Aiunt Guisium quatuor aut sex diebus ante cædem de insidijs sibi structis monitum, immò illa ipsa nocte scedulam ipsi porrectam, in qua scriptum erat, vt sibi caueret: & quod plus est, à Ducissa Nemorosia matre sua, cũ lacrumis, illa ipsa quoque nocte quæ mortem ipsius præcessit, periculi & insidiarum commonefactum, respondisse: Tale quid de Rege se persuadere sibi non posse, memorem eorum quæ ab ipso sibi promissa sint, nec credibile esse tam diabolicam machinationem in corde regis latere posse,

neque vero consilijs suis quibus semper vsus sit, & etiamnum vtatur, honestum, sed probrosum magis, vllam metus suspicionem fuga aut alijs rebus præbere.

Strepitu excitatus Cardinalis Guisij frater, in Consilio sedens, & de fratre quod erat suspicans, vltro in regium conclaue irrumpere volebat, sed à regij satellitij præfecto retentus, ac non multo post vna cum Lugdunensi Archiepiscopo captiuus in Palatiū, vbi Rex Capucinis monasterium ędificabat, abductus est.

Eo tempore quod cædi constitutum fuerat, Guisij filius Ionuillæ Princeps à Magno Galliæ Priore, vt vocant, ad palmæ lusum fuerat inuitatus: Thermio verò mandatum fuerat, vt Nemorosium Ducem pręsentia sua & colloquio remoraretur, alij Ducem Albeufium obseruare iussi, qui omnes postea in custodiam sunt inclusi.

Cœso Guisio, arcis portæ clausæ sunt, & præsidia ad eam rem parata, vbique disposita. Inde è regijs ministris quidam (magnum Præuostum vocant) cum quinquaginta satellitibus ad locū vbi Consilium habebatur profectus, effractis portis Parisiensium mercatorum præfectum, Nullium Præsidem, & quosdam alios euocauit, caussamque cur eo ab Rege missus esset exposuit, quod scilicet nōnulli ibi essent qui Regi mortem machinarentur. Illis vero tergiuersantibus, idem nisi cōtinuo abirent, mortem minatus

est. Tum etiam missi sunt qui Brisacum Comitem, & Pellicanum Guisio à secretis, comprehenderent.

Guisij corpus mortuum toto illo die in atrio regij conclauis, panno coocertũ iacuit. Nemorosia quidem, Guisiorum mater, ad Reginam matrem Regis miserat, per omnia sacra obtestans vt filios sibi commendatos haberet: at ei responsum fuit, Reginam quod posset facturam, sed iam parum posse. Regem tamen rogaturam, vt corpus ipsi tradat, id quod fecit: sed nullum alium responsum tulit, quam corpus illud in Regis esse potestate, sed eo adhuc carere non posse.

Postero die Guisius Cardinalis à regio itidem satellitio confossus & interfectus est, Ducis vero Guisij filius, Ionuillæ Princeps, in Ambrosiam arcem captiuus abductus. Albeufius ad se comprehendendũ missis diu restiterat, tandem tamen manus dare coactus fuit, vt & Nemorosius: captiui vero omnes in eadem arce adseruari iussi sunt, eò fortassis vt ad Guisiani cadaueris aspectum, mortis ipsis quoque terror incuteretur, intestim examinarentur. Brisaco soli aiũt à Rege veniam datam: eumque adhuc Blæsis esse. Cardinali Barbonio, in lecto ex podagra decumbenti, à regio Heluetiorum satellitio manus itidem sunt iniectæ.

Cæde perpetrata, Rex ad Matrem suam ingressus, eo demum die Franciæ se Regem

factum esse dixit. Cui illa respondisse dicitur: Metum potius esse ne illo die vniuersum regnum in exitium sit præcipitatum. Tum illum rursus: Eueniat quidquid euenturum est, ego si nihil aliud, dolorem tamen meum & iniurias vltus sum.

Sequenti mane Rex ad sacrum audiendum profectus, Cardinali Vindocinensi comitante: deinde in consueto loco publice pransus est, eodem Cardinali mantile ministrante.

Ordo cædis. Ordo vero cædis à Rege hic constitutus fertur. Cum prima eius diei luce Rex sedecim Nobiles è quadragintaquinque illis, qui custodiæ caussa ipsum semper comitari solebant, ad se euocauit, & quid ab ipsis fieri vellet, edocuit, additis his verbis: Eo die aut sibi aut Guisio Duci moriendum esse. Illis mandata alacriter accipientibus, Rex in conclaue se recepit, & duas scedulas vnam ad Lansacum, alteram ad Castelnouum, de Borbonio & Guisio Cardinalibus comprehendendis scripsit, simulque mandauit vt Ordinum conuentus cõtinuaretur, addito interdicto, ne cui, sub capitis pœna, arma ferre liceret, nihilominus tamen ex Ordinibus multi clam sese subduxerunt.

Aurelianam in arcem Rex milites aliquot præsidij caussa miserat; sed ciues intellecta re omni, subito arreptis armis, & productis tormentis, verberationem instituerunt.

Vul-

Vulgata Guisij morte, varij statim rumores sparsi sunt, eodem scilicet tempore Lugduni Mainij Ducem interfectum, Lutetiæ vero Aumalio manus iniectas; Lauardinum item ad Carnutum regulum & duos Guisianorum militum præfectos occidendendos missum, &c. qui tamen magna ex parte vani fuerunt.

Lugdunensi Archiepiscopo à Rege vitæ gratia facta est, Cabillonensis præfecti precibus: Guisium vero Cardinalem quum Rex ab ijsdem à quibus Dux frater interfectus fuerat, interfici iussisset, aiunt quidam id facere eos noluisse, quod ille militaris, hic Ecclesiastici ordinis homo esset: ac proinde à regijs satellitibus, aut Præuosti militibus ei manus illatas.

Vicesimoquinto eius mensis die Rex cæsorum cadauera capitibus truncari, ac porro cremari iussit. At Capucini monachi, interfecto Cardinali, sacrum coram Rege facere recusarunt. Legatum quoq; Pontificium aiunt initio dubitasse vtrum cum Rege colloqui vellet; postea vero eadem cum ipso naui vectum esse. Quid vero inter eos actum non constat.

De Morte

HENRICI III. FRANCORVM REGIS

anno M. D. LXXXIX. à monacho interfecti.

RELATIO.

Monachus Dominicanus regis occidendi cõsilium capit

Kalendis Augusti anno MDLXXXXC. monachus quidã Dominicani Ordinis, qui Iacobitarum quoque vulgo dicitur, ſimplici vt videbatur, ingenio, circa veſperam verſus S. Clodouei fanum vbi Rex cum erat, iter ingraſſus eſt, comeatus literis captiui cuiuſdam Præſidis Harlæi opera impetratis. Eò quum veniſſet, per internuncios ſtatim Regi ſignificari iuſſit, habere ſi quæ oretenus cum ipſo communicare vellet: Rex vero cuidam è ſuis negotium dedit, vt ea nocte hominem apud ſe retineret & liberaliter tractaret, è cuius ſermone non modo nulla deprehendi potuit ſuſpicio, ſed etiam ſpes facta eſt, eum iuſigne aliquid ad Regis ſeruitium & vtilitatem allaturum.

Poſtero die mane idem monachus ad Regem introductus, petijt vt in ſecreto audiretur. Arbitris ergo remotis, Rex cum eo penitius conclaue ingreſſus eſt, tum monachus

chus litteras ei porrigit : ac statim ijs legendis intentum, cultro in ventrem & perficit sub vmbilico adacto, confodit. Rex vulneratum se sentiens cultrum continuo è vulnere ipse educit, quod inde multo maius factum est. Ad strepitum & clamorem mox familiares Regis & satellites accurrunt, & monachum multis vulneribus conficiunt, nimio vltionis zelo accensi: quem Deo gratias egisse ferunt pro tam subitanea & leni morte, vt qui viuo sibi deprehensô, omnes cruciatus paratos sciret. Mortui cadauer à quatuor equis distractum, in quatuor partes dissectum, & tandem crematum fuit.

Rex plagam hanc non lethalem fore arbitratus, vt suis animum adderet ipse quoque animum præ se tulit, & è fenestra etiam conspiciendum se præbuit. At circa vesperam ingrauescente dolore, medici & Chirurgi inspecto vulnere(quod iam liuescere incipiebat) Regem periculi, vtque ad extrema se pararet, monuerunt: qui nihilominus melius sperabat, donec tandem deficiente linguæ vsu, circa mediam noctem exspirauit.

Moriturus, Nauarræ Regem ad se euocatum rogasse dicitur, vt mortem suam vlcisceretur, in Parisinis præcipue, quos in suam cædem conspirasse dicebat: quamvis alij dicant prædictum monachum vltro & sua sponte rem tantam aggressum, contemto

mortis periculo, quod ad rem Chriſtianam, maximè vero Gallici regni ſalutem promouendam hoc ſuum factum pertinere, perſuaſum haberet.

Aiunt eidem Monacho conciones habenti, interdum voces eiuſmodi excidiſſe, quibus ſignificarit, ſuis ſe manibus Regem interfecturum: idque ſibi in viſione quadam manifeſtatum. Se quidem equi caudæ alligatum iri, ſed nullos dolores ſenſurum.

THESAVRI POLITICI APOTELESMA V.

Quod eſt

Epiſtola qua Magnus Hetruriæ Dux Cardinalatu ſe abdicauit,

EXEMPLAR.

QVUM iam dies appropinquet, quam & ea quæ familiæ meæ aduerſa euenerunt, quæque illi ad agendum neceſſaria ſunt, mutandæ meæ vitæ inſtituto præfixerunt, cui me Deus Optim. Maxim. iam inde à pueritia addixiſſe videbatur, & in quo ego permultos annos inſeruiendo

ſan-

sanctissimæ isti Sedi perseueraui; quumque neque publicæ vtilitatis ratio, neque huiusce populi, cui præsum, voces, & desideria patiantur, vt hanc rem diutius differam: visum est mihi, vt Romam Nicolaum Tornabonum Episcopum Burgi Sancti Sepuchri, cum meis his litteris mitterem. is à me peramplum mandatum habet, cuius vi tum Sanctitatis vestræ, tum Sacri Collegij conspectum adeat, meoque nomine supplex ab eo postulet, vt Cardinalitiam dignitatem illiusque insignia deponere, eaque vestræ Sanctitati, ac sanctissimæ isti Sedi restituere liceat. Qua quidem in re futurũ spero, vt ipsa eo benignius petitionem meam sit acceptura, quo certius persuadere sibi potest, me non vnà esse depositurum summam illam inseruiendi Sanctitati vestræ voluntatem, quã ante hac eius in me non obscuris beneficijs obstrictam, ac deuinctam habui, sed futurum potius planè reuerentem, atque obsequentem filium suum, eaque omnia semper acturum, quæ V. Sanctitati grata, & iucunda fore existimabo. Deus Optimus Max. Sanctitatem V. cuius Sanctissimos pedes humillime deosculor, diutissime tueatur, ac seruet.

Datum Florentiæ xij Calend. Decembris MDLXXXVIII.

EPISTOLA AD CARDINALIVM Collegium.

ETSI dolorem illum, quem ego ex Frãcisci Medices Magni Ducis Etruiæ obitu maximum cepi, quod fratrem mei amantissimũ mihique carissimũ amisi, nullo alterius incõmodi interuẽtu augeri posse existimabam, tamen cum eò ventum est, vt ea mihi persona deponenda sit, quã vigintisex ipsos annos incredibili mea cum voluptate in ista vrbe vnà cum Illustrissimis D D. V V. gessi, mirum profectò est, quanto vehemẽtius animũ meum tantæ iacturę memoria refricare cepit. Etenim præterquã quod huius celmperij moles, quam iure quidem hereditario, sed tamen nõ admodum optandã mihi esse video, tanta est, vt à curis requiescere animum nunquam patiatur, totumque vnum sibi me postulet, vt quo maxime oportet quaqne mihi inprimis opus est, quam commodissime perferatur: illud etiam accedit, quod cum omnium Dominationum vestrarum Illustrissimarum consuetudine, conspectuque, quibus ego præsens fruebar, vt ex ijs non modo incredibilem voluptatem sed etiam suauissimos meos erga sanctissimã istam Sedem, vestrumque Illustrissimum ordinem pietatis, atque obseruantiæ fructus caperem, priuatum me sentio, facere non possum, quin in me huiusmodi memoriæ recor-

recordatio, quasi quodam morsu dolorem efficiat, D D. quæ vestrarum Illustrissimarum desiderium identidem renouet, atque animum incredibiliter commoueat.

Qua tamen in re illud mihi maximã adhibet consolationem, quod cum istinc non longissime absum, futurum spero, vt quemadmodum præsens tum eram sanctissimæ Sedi Apostolicæ, vtq; Dominationibus VV. Illustrissimis libenter, ac studiosè interueniebam, ita etiam posthac crebræ mihi occasiones offerantur meæ perpetuæ & constantis erga V. ordinem testificandæ voluntatis, quam quidem semper hic retinebo, vt ab ea me nulla, neque loci, neque temporis longinquitas vnquam deuulsura sit. Atque hoc idem non minus de Dominationum VV. Illustrissimarum erga me beneuolentia mihi polliceor. Superest ergo vt mutuis inter nos officijs hanc animorum coniunctionem non solum tueamur, sed etiam quaod fieri, præstariq, a me poterit, dabo operã atq; enitar, vt re ipsa DD. VV. Illustrissimę intelligãt & sanctissimæ istius Sedis obseruationem, & istius Illustrissimi Ordinis commodis paratiorem quam me esse neminem, quemadmodum ex Episcopo Tornabono præsentium exhibitore latius accipient. Deus Opt. Max. DD. VV. Illustriss. incolumes, & saluas diutissime seruet.

Datum Florentiæ.

FORMVLA CEREMONIARVM seruandarum in resignatione Cardinalatus Magni Ducis Etruriæ.

Die 28. Nouembris 88.

FEria 2. 28. Nouembris 1588. erit Consistorium secretum apud S. Petrum, in quo Sanctissimus Dominus noster, habito breui sermone cum Cardinalibus, de admissione Procuratorum Cardinalis Magni Ducis pro resignanda Cardinalatus dignitate mandabit eosdem Procuratores introduci, qui præeuntibus Magistris ceremoniarum introducentur cum aduocato Consistoriali, qui dictæ resignationis negotium exponet. Episcopus Procurator intrabit cum cappa, Aduocatus cum habitu consueto Aduocatorum, aderunt etiam duo cubicularij assistentes Papæ, duo secretarij domestici, duo Protonotarij de numero Antiquorum, duo Clerici Sacri Collegij, & ad summum duo alij Prælati Patriarchæ, si aderunt, Procuratores, & Aduocatum deducentibus Magistris ceremoniarum, facta reuerentia Papæ in ingressu, ibunt ad locum post sedilia Cardinalium è regione Pontificis, ibique omnibus genuflexis Aduocatus dicet hæc verba. Pater Beatissime, admodum Reuerendus Pater Nicolaus Tornabonus Episcopus Ciuitatis Burgi Sancti Sepulchri, & Illustrissimus

ſimus Ioannes Nicolaus Ferdinandi Cardinalis Magni Ducis apud Sanctitatem V. orator, eiuſdem Magni Ducis Procuratores in ſolidum hoc legitimo ſuffulti mandato, ad reſignandam in manibus Sanct. V. Cardinalatus dignitatem, habent ad S. V. & Sacrum Collegium litteras, quas humiliter ſupplicant, vt accipere dignetur, illiſque lectis benignè audire, quæ in mandatis habeant. His dictis, Magiſter ceremoniarũ accipiet præfatas litteras & mandatum, & Secretario Sanctiſs. tradet; litteras autem ad Sacrum Collegium, & mandatum tradet Dom. Siluio Antoniano Secretario ipſius Collegij, qui iuſſu S.S. illas leget.

Poſtea Aduocatus adhuc permanens genuflexus, exponet negotium reſignationis.

Magiſter Ceremoniarum antiquior abſoluto ſermone Aduocati, admonebit Dominos Protonotarios, vt ſint rogati de inſtãtia facta à Procuratoribus Cardinalis Magni Ducis, vigore ſpecialis Mandati tunc per Secretarium Sacri Collegij perlecti, ſuper admiſſione reſignationis dignitatis Cardinalatus eiuſdem Magni Ducis ad hoc, vt deſuper poſſint confici publica inſtrumenta, & Protonotarij rogabunt teſtes, his tantum accerſitis teſtibus, quorum omnia nomina adnotabunt.

His

His abſolutis omnes diſcedent, & iterum Conſiſtorium Sanctit. Sua rogatis Reuerendiſſimis Cardinalibus, pro ſua ſingulari ſapientia diſcernet, & Reuerendiſſimus Vicecancell. pro ſuo officio aduocabit Decretum, quod etiam faciet Reuerendiſſimus Camerarius Sacri Collegij, vt mos eſt.

FINIS.

gem Cat
empublic
Tractatio
87. Hor
a,
ndo , D
m S. Six
ax. Qu
ÿ Ecclesi
xti V. Po
9.
ienem S
e Relatio
ritate

